Hubert, Curt Ernst Hermann
De Plvtarchi Amatorio

DE PLVTARCHI AMATORIO

SCRIPSIT

CVRTIVS HVBERT
POSNANIENSIS

KIRCHHAINII LVSATORVM
TYPIS DESCRIPSIT MAX SCHMERSOW (ZAHN ET BAENDEL)
MCMIII

DE PLVTARCHI AMATORIO

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS CONSENSV ET AVCTORITATE

IN

ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA BEROLINENSI

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ET

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XI MENSIS NOVEMBRIS

ANNI MCMIII HORA XII

PVBLICE DEFENDET

CVRTIVS HVBERT

POSNANIENSIS

ADVERSARII ERVNT:

ERNESTVS ARNDT CAND. PHIL.

GEORGIVS RATHKE CAND. PHIL.

RVDOLPHVS DAHMS CAND. PHIL.

KIRCHHAINII LVSATORVM

TYPIS DESCRIPSIT MAX SCHMERSOW (ZAHN ET BAENDEL)

MCMIII

De dissertatione probanda ad ordinem rettulerunt
U. de Wilamowitz-Moellendorff et J. Vahlen.

D · M · FRIDERICI · GODEHARDI · HVBERT · PATRIS ·

ET · CAROLO · BARDT · PATRI · OPTIMO ·

S

Amatorius dialogus, qui nunc est inter scripta Plutarchea deinceps a viris doctis in suspicionem vocata, usque ad sextum decimum ante hunc annum in periculum non venerat[1]). Anno 1888 in Commentationum philol. Ribbeck. pp 68—70 Ernestus Graf hunc sermonem compluribus causis commotus ab eo qui ad id tempus ab omnibus credebatur auctore abiudicavit, deinde anno 1895 Rudolphus Hirzel in illo de dialogo libro (II pp. 233—236) neglecta reclamatione Wilamowitzii (Commentar. Gramm. III (1889) p. 27) argumenta diluit auxit amplificavit; Praechterus autem in libro de Hierocle Stoico (1901) conscripto iam sententias decerpit ex Ps.-Plutarchi, quem dicit, Amatorio, Fridericus Wilhelm in Mus. Rhen. 57 (1902) p. 56 A. 1. nil nisi commemorat id iudicium factum esse, neque adhuc exstitit vindex.

Antequam iudicemus, oportebit intellegamus.

---

[1]) Praeterquam quod in Passowii thesauro II 2 s. v. φιλοφρονέομαι inveni '[Plut.] mor. p. 750 D', nescio quo auctore.

CAPVT PRIMVM.

Interpretatio.

Opus est totius sermonis texturam percipere atque dissolvere, ut et intellecto quid voluerit atque quid consecutus sit auctor, et secretis, quoad fieri poterit, propriis scriptoris ab aliunde sumptis sententiis, num omnia haec Plutarchum spirent, recte disceptemus.

I.

Et primum quidem, nisi maxime ad intellegendum necesse erit, non in auxilium vocatis eiusdem rei testimoniis sive Plutarcheis sive alienis, quibus tanquam clavibus usi Wendlandius Heylbutius Hirzelius alii quorundam dictorum fontes reserare studuerunt, ipsum sermonem peragremus.

Prima dialogi pars procurrit usque ad 752 E duas orationes perpetuas complexa; quae quanquam, cum non de Bacchone ab Ismenodora in matrimonium ducendo, sed de virtutibus Amoris et puerilis et nuptialis agant, non ad eam rem spectare videntur, propter quam lis instituta est, non male emanant ex Daphnaei de Protogenis itinere ioco.

Iam surgit Protogenes:

Efferri sane laudibus legum latorum matrimonium, neque se negare bene ab ipsa natura in unum conduci feminam et marem; neque tamen hanc consuetudinem neque quae

saepius accedat cupiditatem appellare licere amorem. Amorem enim ubi generosam indolem contigerit, desinere in amicitiam et virtutem, cupiditatem, si optime eveniat, in voluptatem. Et[1] Amorem, ubi male res cadat, decedere, cupiditatem contentam esse usura aetatis (750 C—F *φιλεῖς μόλις*). — Sed ut hic quoque affectus amor nominetur, esse eum velut civem spurium, vel potius, quoniam inter spurios quoque honesti et boni viri sint, ut aquilam piscatoriam mollem omniumque virtutum expertem.

Respondet Daphnaeus:

Ab ipso illo quo nitatur Solone quoniam concedatur non sine consuetudine quadrupedum contra naturam morem imitante amari pueros, cum nihilo minus ille amor desinat in amicitiam, multo etiam magis consentaneum esse coniugum amorem rebus venereis non impeditum, sed naturae opera usum ad amicitiam pervenire (751 B—E *τὸν βίον*). — Re vera igitur unum atque eundem affectum esse amorem et puerorum et feminarum; sed cum litem Protogenes intendat, illum puerorum amorem spurium neque merito inimicum amoris coniugalis coargui, cui nulla re praestet (751 F—752 A *ἐκλελοιπότος*). — Veneream autem rem omni amori esse pernecessariam; cuius si iure puerilis amor expers ab illis dicatur, illam consuetudinem omnino non esse amorem.

Hae orationes quo modo natae sint, nondum satis perspicimus; videmus tamen Protogenem contendere nunquam mulierum, saepe puerorum amorem desinere in amicitiam, neque vero quicquam proferre ad rem demonstrandam; et Daphnaeum, cum et prima et altera parte orationis ostendere studeat, quantum inter se distent Amores, mire atque obscure transitum ita facere ut dicat 751 F *εἰ μὲν οὖν τἀληθὲς σκοποῦμεν — ἓν καὶ ταὐτόν ἐστι πρὸς παῖδας καὶ γυναῖκας*

[1] Recte Bernardakis non cum prioribus 750 E *τέλος γὰρ — ἀπόλαυσις* coniunxit cum sequentibus, sed inde ab *Ἔρως δὲ* novam sententiarum seriem incohavit.

πάθος τὸ τῶν Ἐρώτων. — Deinde cum comparamus ea quae respondentur cum illis quae obiecit Protogenes, quod cognoscimus Daphnaeo, ut illius argumentum primum refellat, demonstrandum esse nuptialem quoque amorem ad amicitiam ducere, demonstrari rebus venereis, quae necessariae sint omni amori, non prohiberi coniuges ab amicitia, ita ut Venerem potius quam Amorem muliebrem defendere videatur, quanquam nunc levissimo videtur, postea tamen maiore erit momento. Atque Protogenes concessit matrimonium, negavit amorem necessarium esse ad propagandum genus humanum (750 C); Daphnaeus hoc discrimine neglecto neque ullo argumento in arenam demisso amorem esse συνεργὸν ἀθανασίας (752 A) sibi sumit.

Paucis interpositis, de quibus postea (pp. 30 sq.) pauca disseremus, altera parte sermonis inde ab 752 E usque ad 754 E de ipsa actionis causa certatur; accusatio autem dispertita est Pisiae et Protogeni. Cavendum esse ne adulescens divitiarum vinculis constrictus ab illa muliere totus opprimatur. Prudentes ipsos divitias uxorum praecidere solere, ne aut illae avolent aut ipsi vinciantur. — Neque feliciter Ismenodorae maiori natu coniungi posse adulescentulum. — Confiteri porro amorem dedecere mulierem.

Adversariorum argumenta, et cetera et quae dicunt tertio loco de amore, initio paucis pater ad incitas redigere conatur. Tum vero amore neglecto accuratius quaerit de divitiis uxoris (753 D — 754 C καὶ συμφερόντως) et de coniugibus annorum numero inter se distantibus.

Qua in actione omnia bene et inter se cohaerent et conveniunt in rem, neque quicquam, quoniam nunc tacere de earundem rerum testimoniis constituimus, notandum est, nisi sententiam 752 F sq. ὅθεν — γυναικός, cum Pisias non id agat, ut Baccho praecidat Ismenodorae divitias, neque vereatur ne uxor eum effugiat, sed id studeat, ne omnino coniungantur matrimonio, non auctoris, sed haustam esse ex fonte aliquo videri.

Tertiam sermonis partem, qua pater, ut amicis persuadeat iniuria Pemptidem Anthemionis verbis (ἀλλ' ἔοικε θεία τις ὄντως εἰληφέναι τὴν ἄνθρωπον ἐπίπνοια) e narratione natis commotum communem opinionem irrisisse et in quaestionem vocavisse, Amorem esse deum demonstrare contendit, ab 755 E ad magnam illam lacunam 766 E procurrere 766 C verbis τῷ δ' Ἔρωτι καὶ τοῦτο καθάπερ τοῖς ἄλλοις θεοῖς ἔνεστιν docemur; quanquam per longa spatia cum alibi tum 764 A — 766 B orationis finis atque summum consilium tantum non negleguntur.

Orditur respondere pater ita ut reiciat quaestionem. 756 A — 757 C. Nefas enim esse dicit dubitare de communi hominum de dis opinione[1]) et rationem postulare; neque quicquam differre, utrum alium deum velut Iovem convellat quis an Amorem, quippe qui antiquo more traditus hominibus colatur (756 A — D ἐν θεοῖς). — Quod si quis obiciat non cerni hunc deum, facile eum repulsari, quoniam omnia numina animis, non oculis, cernantur neque Venus sophistica arte petita magis integra constaret quam Amor (756 D — F μένουσιν); si obiciat Amorem a multis exagitari conviciis, ne ceteris quidem deis eos parcere (757 A — B ἀλλοπρόσαλλον); et ceteros quoque a Stoicis in affectiones et facultates transscribi.

Qua in argumentatione cetera omnia apte conexa sunt quadrantque ad finem orationis, nisi quis forte miretur, quod pater Amorem non tractat nisi 756 C—F paucis; nam necesse sane est, cum ita argumentetur, ut Amoris divinitatem eisdem

[1]) 756 B conieceram id quod iam Volkmannum (Plut. v. Chaer. II p. 253 annot. 2) legisse video. ἐπισφαλὴς γίγνεται πᾶσα pro πᾶσι, quoniam totum opponi uni (ἐφ' ἑνός) apertum est. Neque tamen opus est corrigere, si πᾶσι non cum veteribus editoribus qui nescio qua ratione vertunt 'reliqua omnia' neque cum Duebnero 'ab omnibus' (sc. hominibus), sed intellegitur 'omnibus deis', oppositis uni ex eo numero deo (non 'uno in loco'); paulo enim ante verba fiunt de dis (περὶ θεῶν, ἑκάστου).

niti fundamentis atque ceterorum deorum demonstret, de ceteris quoque verba eum facere; sed tam multa dicit de his, tam pauca de ipso Amore, ut facile aliquis illis de dis et persuasione communi sententiis iam antea aut in exemplo aliquo aut ab nostro scriptore confectis postea demum Amorem immixtum esse suspicari possit. —

At gravem quae 756 E—F de Venere dicuntur habent offensionem. Demonstraturum enim se esse pater dicit eodem modo atque Amorem Venerem quoque labefactari posse quaestione sophistica; quam eius modi fore exspectare debemus, ut sicut Amoris ita Veneris in examen vocata natura talibus facultatibus nos non cogi numen credere ostendatur. Iam vero prior particula demonstrationis rationi nostrae non satis facit. Non enim ipsa natura Veneris in quaestionem devocatur, sed ideo quod sine illo qui a Pemptide temptetur amore valida esse non possit, ipsa quoque una cum Amore collapsura esse dicitur. Quae ratio demonstrandi primum praeter Venerem in nullum deum convenit; deinde quid, si ei, qui in Amorem invehuntur, amorem esse affectum declarant? Affectus enim ab ipsa Venere animis cum inseri potest, tum ab ipso patre, cum Hippolyti Euripideae laudet versum ἥδ' ἐστὶν ἡ σπείρουσα καὶ διδοῦσ' ἔρον, inseri dicitur. Neque igitur necesse est Venerem in periculum venire, si Amor deus esse negatur. Male deinde auctor nititur verbis Parmenideis et Hesiodeis; nam infra sane demonstratur poetas et philosophos fidei auctores esse (763); hoc autem loco, ubi ipsa natura Veneris arte sophistica perquirenda sit, illis verbis nihil efficitur, cum opinione (πίστει) quamvis antiqua opinio neque confirmari neque labefactari possit. Debilem igitur esse totam hanc argumentationem apparet. —

Iterum a Pemptide agitatus ad Amoris divinitatem demonstrandam pater transit, 757 C — 763 B.

Atque primum quidem ex aliis rebus quibus praesunt dei, sive similibus sive contrariis, argumenta colligit,

757 C — 759 D[a]: ex inimicitiis[1]), venatione, plantarum ortu atque incremento (757 C — 758 A *τῶν προστυγχανόντων*): deinde e ceteris curis vitae humanae (758 A — C *τοὐναντίον*); tum e ratione quattuor illorum amicitiae generum (— 758 D *ἀλογίαν*); denique e reliquis furoribus divinis; nam cum vaticini et bacchici et musici et bellici furores animis inspirentur a dis, cur non amatorios quoque, qui omnium acerrimi et constantissimi sint?

Iam ut omittamus de 759C/D dubitari posse, e fonte aliquo hausta an ab auctore inventa sint, quia amore animos ad amicitiam et virtutem duci[2]) hoc loco nihil refert, primum monendum est Pemptidem, cum pater 756 A — 757 C numinum divinitatem maxime constare in more antiquo et opinione communi neque ulli deo his rebus Amorem cedere demonstrarit, male, tanquam si nihil dictum sit, Amore a ceteris deis secreto 757 C obicere cavendum esse, ne affectus pro deo habeatur; movet igitur quaestionem quae iam soluta est.

Deinde quia nihilo setius pater ei respondet, male consentiunt 757 C — 763 B cum 756 A — 757 C: tota enim hac altera parte orationis pater id ipsum summo studio demon-

---

[1]) 757 C Winckelmannus (p. 159) non iure Reiski emendationem, qui *μαχητικόν* scribit pro *παθητικόν*, aspernari videtur: neque enim quo loco ut suam sententiam suffulciat contendit, 452 C *καὶ περὶ τὰς μάχας τὸ παθητικὸν καὶ τὸ ἐνθουσιῶδες ἀνυπόστατόν ἐστι καὶ ἀήττητον*, cum addita sint verba *περὶ τὰς μάχας*, quicquam effici manifestum est. Itaque cum et inimicus esse animus significetur necesse sit et tria opponantur (*τὸ φιλητικὸν καὶ κοινωνικὸν καὶ συνελευστικόν*) et *πάθους δὲ γάμου*, quia quid sit a me non intellegi confiteor et in illo sententiae membro (*κτείνοντας κτλ.*) non affectibus, sed actionibus opus est, cum Reiskio corrigendum videatur in *πειθοῖς δὲ καὶ γάμου*, ita ut non iam respondere possit ad ***παθητικόν***, ***μαχητικόν*** scribendum censeo.

[2]) 759 D quae sit sententia verborum post *ἐπὶ τὴν φιλίαν* exstinctorum, dubium non est. Neque tamen perspicio quid sibi velit Bernardakis supplementum ⟨*ἡγεῖται καὶ ἀρετὴν ἡ ψυχή*⟩; immo flagitatur genus passivum, velut *ἐπὶ τὴν φιλίαν* ⟨*ἡ ψυχὴ τάχιστα κομίζεται*⟩ *καθάπερ ἐπὶ κύματος τοῦ πάθους ἅμα θεῷ φερομένη*.

strare contendit, quod priore demonstrari oportere negavit. A qua parte maxime abhorrent sententiae 757 C — 759 D[a]; nam amoribus deum praeesse ita demonstrare student, ut rebus vel similibus vel contrariis dei praefecti dicantur. ipsos autem hos deos 756 A — 757 C demonstratum est eisdem solis fundamentis opinionis communis et moris nixos esse atque Amorem. Sic argumentari apparet patrem non potuisse, nisi Pemptides 757 C Martem deum esse ei dedisset; neque igitur haec argumentatio stare potest nisi in dialogo. — Accedit huc, quod 757 C — 759 D constant e singulis eisque diversissimis rebus solo fine eo, ut Amoris divinitas eluceat, in unum coniunctis, quae magna e parte vel e Platone Theophrastove sumptae sunt vel postea demum argumentis confirmantur vel sunt sententiae poetarum verbis annexae. Veri igitur simile fiet singulas res ab ipso auctore collectas ad illum finem aptatas esse; quae opinio etiam stabiliri potest. —

Secuntur argumenta hausta e dei potentia (759 D[b] — 762 A) et utilitate (762 B—E[a]), atque ex habitu amantis (762 E[b]—763 B[a]):

Nam quoniam potentia et utilitate homines adducantur, ut deos credant, omnium autem deorum facultates quodam modo Marti et Veneri distributae videantur, primum cum Venere Amorem esse comparandum. Quis igitur dubitet, quin res venerea amore absente[1]) nihili sit (—759 F ἐπιπνεύσαντος)? neque unquam, sicut a multis scorta atque uxores, ab ullo amatore amatum aliis prostitutum esse: immo etiam tyrannis solos amatores obstitisse, ut amatos suos defenderent.

[1]) 759 F non solum quod 'nominativus requiritur', ut dicit qui emendavit Madvigius (Advers. crit. I p. 658), de quo praedicetur παροδεύεται, commendatur e codicum vestigiis (Λαιε τιση) scriptura Λαΐς τις ἢ Γναθαίνιον (falso Bernard. ἢ Λαΐς κτλ.), cum priores scribebant ἢ Λαΐδα τιν᾽, ἢ Γναθαίνιον (vel ἢ Λαΐδας, Γν.), sed etiam propter sensum verborum ὅπως ἐνταῦθα μὴ Φρύνην ὀνομάζωμεν, quae intellegenda sint: ne Thespiis, ubi aurea in templo collocata est, Phrynen tam foedae rei exemplum proferamus.

Quam rem Alexandrum quoque saepius agnovisse (759 F—760 D *τῆς γυναικός*). — Fortitudine autem Amorem non inferiorem esse Marte; nam et pro amatis suis omnia pericula subire amatores (760 D—E *στεῖλαι*) et illis praesentibus, ne quicquam metuere videantur, maxime metuere; cuius rei testes esse et Cleomachum et mores Thebanos et populos, qui et bellicosissimi et amori maxime dediti fuerint, et antiquos viros summis laudibus dignos, in quibus esse etiam Herculem et Apollinem amatorem Admeti (760 E—761 E *εἰς ἐνιαυτόν*). Admeti uxoris recordatis etiam mulieres ad audendum aliquid amore impelli facile probari (—E *ἀποθνήσκειν*). — Si vero fabulae quoque quid ad fidem conducant, ipsis Alcestidis, Protesilai, Eurydices exemplis soli omnium superorum Amori esse Plutonem dicto audientem demonstrari: ita ut qui Amori se dediderit, cum Aegyptiorum fabulis, tum Platonis philosophia imbutus merito meliorem sibi apud manes condicionem fore sperare possit (761 E—762 A *ἑλεῖν δυναμένου*).

Commoda autem non solum amatis [1]) ab Amore parari, sed etiam maiora amantibus. Docere enim eum non modo artem poeticam, sed etiam prudentiam, fortitudinem, liberalitatem, cuius rei Anytum exemplum esse, suavitatem, neque autem agnosci saepe numen ab hominibus [2]) (762 B—E *θεὸς ἔνδον*)

A deo autem occupari animum comprobari etiam amatorum habitu, cum ceteris omnibus audacissime resistant, formosis praesentibus omnem ferociam demittant (—762 F *γαῦρον*), et Sapphus versibus plenis aestus divini (—763 A *ἐξίστησιν*:)

[1]) 762 B restituenda est Meziriaci emendatio *τοῖς ἐρωμένοις* pro *τοῖς χρωμένοις*.

[2]) 762 D *αἰθομένου — πυρὸς* —˘— *θερμότητος* non posse, ut Winckelmannus (p 198) voluit et Bernardakis commendare videtur, pendere ab illo quod antecedit *ποιεῖ* (sc. *ὁ Ἔρως*) et apparet et iam Chatzidakis in *Ἀθηνᾶς* tom XIII. exposuit. Qua de causa Wilamowitzius ex ipso versu epico correxit: *αἰθομένου γὰρ πυρὸς γεραρώτερος οἶκος ἰδέσθαι καὶ ἄνθρωπος, ὡς ἔοικε, φαιδρότερος ὑπὸ τῆς ἐρωτικῆς θερμότητος.*

et paucitate eorum, qui magno in numero hominum eandem pulchritudinem spectantium amore capiantur (—763 B *τὸν δ' ἐάσας*).

Sub finem revertitur pater ad primum argumentum, cum dicat omnes philosophos, legum latores, vates consentire in Amore venerando atque colendo, apparere ergo iam ab antiquis temporibus Amorem deum creditum esse (763 B—E *τύραννον*). Denique quasi hymno suum deum a Platone nuntiatum canit (763 F). —

760 B, C argumentatio circulo implicatur: *ἆρ' οὖν ἐραστῶν τοσούτων γεγονότων καὶ ὄντων οἶσθ' ἐπὶ ταῖς τοῦ Διὸς τιμαῖς προαγωγὸν ἐρωμένου γενόμενον; ἐγὼ μὲν οὐκ οἶμαι· πόθεν γάρ, ὅπου καὶ τοῖς τυράννοις ἀντιλέγων μέν οὐδεὶς οὐδ' ἀντιπολιτευόμενός ἐστιν, ἀντερῶντες δὲ πολλοὶ καὶ φιλοτιμούμενοι περὶ τῶν καλῶν καὶ ὡραίων;* Hos enim qui secuntur, Aristogitonem, Antileontem, Melanippum fuisse, eos qui antecedunt non fuisse *ἐραστάς* e nulla alia re conclusum est nisi quod hi prostituerunt delicias suas, illi defenderunt; iam rursus concluditur amantes defendisse, eos qui non amarent prostituisse saepius delicias suas. Ne nimis longe exspatier, satis erit indicare omnia recte se habere, si prostituere dicuntur ei qui rei venereae et feminis studeant, defendere amantes puerorum. Tenemus igitur 759 F *ἔτι δὲ μᾶλλον* — 760 C *ἠφείδησαν ἑαυτῶν* fragmentum laudationis Amoris puerilis, quod temere in suum usum convertere dialogi scriptor conatus est.

Iam apertum est hanc de potentia dissertatiunculam non ex exemplo aliquo sumptam, sed ab nostro auctore conscriptam esse.

Illa in laudatione fusius de tyrannicidis 760 C narratum fuisse veri simile est, cum neque Antileontis Melanippive historia tam trita sit ut tam breviter attingatur, et Plutarchus falso Melanippum pro Charitone amantem faciat [1]).

[1]) V. Ael. v. h. II 4. Athen. XIII 602 B. An diversa tradebantur, quoniam Athenaeus scribit: *Μελάνιππος δ' ἦν τὰ παιδικά, ὥς φησιν Ἡρακλείδης*?

760 D—761 E primum Niobidas una cum antecedentibus seiungendos esse ab eis quae secuntur interpretatio iam docuit, neque unde sumpti sint conicere possumus. —

Deinde offendimus in Cleomacho secreto, cum interponantur gentes amori deditae, ab illis qui postea (761 D sq.) enumerantur amatoribus antiquis; praeterea in ipsa narratione compluria sunt, quae ad Chalcidenses potius quam ad Cleomachum pertineant. Quibus de causis equidem pro certo habeo in fonte verba facta esse de Chalcidensibus ut amoris studiosis, quippe qui Athen. 601 E una cum Cretensibus (Amat. 761 D) nominentur. — Deinde afferuntur ut natio amatoria Boeoti, quibus subiunguntur duo exempla aliorum amantium, tum nomina Lacedaemoniorum et Cretensium: videtur ergo auctor invenisse seriem gentium amatoriarum. Quibus qui continuantur viri amatorii, utrum ita ut traduntur coniuncti an in illo fonte ad singulas nationes distributi inventi sint, incertum; certum autem videtur eos non ab auctore collectos esse, quod amores parum notos Meleagri, Aristomenis, Cimonis[1] item ac supra 760 C tyrannicidas et 761 D Lacedaemonios atque Cretenses brevissime perstringit: et notandum est Apollinem male insertum esse huic numero *τῶν παλαιῶν* (sc. *μαχιμωτάτων*) amatorum, qua e re elucet aut ab auctore additum esse deum aut non hac ratione compositam fuisse hanc seriem amantium. —

Gentium autem illum catalogum utrum in libro aliquo idcirco, ut nationes antiquae puerorum amori deditae enumerarentur, conscripto an in laudatione illa (cf. 759 F—760 C) Amoris puerilis invenerit scriptor sermonis, nondum scimus. Neque vero in illo exemplo, quodcumque fuit, ideo compositus erat index, ut demonstraretur populos amatorios bellicosissimos fuisse (761 D *τὰ μαχιμώτατα τῶν ἐθνῶν ἐρωτικώτατα*) — neque enim ad hanc rationem quadrant Chalci-

[1]) Mulierum sane amantem fuisse Cimonem e. g. Plutarchus vit. Cim. 4 tradit.

denses —, sed scriptor ipse indicem nationum amoris puerilis ab antiquis temporibus studiosarum, ut demonstraret quod ipse sibi proposuerat, adhibuit et commutavit; qua de causa non Chalcidenses summis laudibus bellicis parum dignos sed Cleomachum laudavit. Iam si accipimus in fonte fuisse indicem amori puerili deditorum non bellicosissimorum, sed clarissimorum et populorum et virorum, bene enumerantur cum qui in nostro sermone submoti sunt Chalcidenses, tum qui nos offendit in nostro sermone Apollo.

761 E *εἲ δέ πως* — 761 F *ἀμείλιχος* quae docentur de mulieribus quibusdam et de Orco, apta sane sunt quae demonstrent Amoris vim atque potentiam, sed abhorrent ab ea quam ipse sibi praescripserat auctor 759E dispositione, quoniam non Martiis quoque rebus Amorem antecellere ostendunt. Cum antecedentibus haec non cohaerent nisi quod utraque ad potentiam Amoris spectant; potentia autem ut demonstraretur non exempli alicuius, sed nostri demum sermonis auctorem contendisse iam supra cognovimus; ipse igitur adversus suam ipsius dispositionem nationibus et viris amatoriis adiunxit mulieres et Orcum. Neque intellegemus, qua re adductus hoc fecerit, nisi digressi ab illo quod initio nobis proposuimus consilio testimoniis arcessitis conferemus Plat. Symp. 179 A—D: ubi invenimus Amorem efficere, ut amantes et praesentibus amatis (= Amat. 760 E^b — 761 E) et amatorum gratia (= Amat. 760 D—E^a) omnia audeant, ne mortem quidem metuant, et viri et mulieres velut Alcestis (= Amat. 761 E *εἲ δέ πως* — *ἀποθνήσκειν*); cui deos id beneficium tribuisse, ut ex Orco reverteretur; Eurydicen autem retinuisse, quod Orpheus ignavus esset.

Phaedro ita res conserere licuit quoniam orationem nulla dispositione circumscripserat; Plutarchus haec paulo incautius in suam rem vertit.

Iam ut summam faciamus, auctori in promptu erant Niobidae, populi et viri amatorii, Protesilaus; quam materiam

commutavit et distribuit in illas quas apud Platonem invenit sententias non sine incommodis, deinde has sententias materia aliena completas adhibuit ad ostendendam Amoris potentiam bellicam: neque bene adhibuisse eum concedemus, cum haec omnia utilitatem potius quam potentiam demonstrent, qua de causa breviter repetuntur 762 B (καὶ ἀνδρεῖον, ἦι λέλεκται, τὸν ἄτολμον . . .).

Quae secuntur de mysteriis et de Aegyptiis Platoneque, auctor ipse conscripsisse et ad hunc locum parum feliciter aptare conatus esse mihi videtur.

Bene deinde progrediuntur 762 B—E[a]; quae nondum perspicuum est ab auctore collecta an in fonte inventa sint; veri tamen simile est, etiamsi coniuncta reperta sint, ut antea ad potentiam, ita hic ad utilitatem ab auctore demum materiam alia ratione olim compositam aptatam esse.

762 E[b]—763 B[a] abhorrent ab utilitate demonstranda: fueruntne una cum 762 B—E[a] diversa ratione conscriptis in exemplo auctori praesto? Nihil adhuc certi de hac re efficitur.

Quae finiunt hanc partem orationis, 763 B[b]—F, continent sententias de pietate, de more antiquo, de credendis deis Plutarcho tritas: quibus facile auctor immiscere potuit illas de ipso Amore sententias, sicut 756 A—757 C fecisse nobis videbatur. —

Iam si totam hanc partem 756 A — 763 F respectamus, hoc modo auctor videtur composuisse: In promptu habebat sententias theologicas: ut deos credamus, satis firmum esse fundamentum antiquam a legum latoribus, philosophis, vatibus stabilitam et a maioribus ad nos propagatam opinionem; antiquos homines, ut deos crederent, et potentia et utilitate singulorum numinum commoveri sŏlitos esse. Initio (756 A—757 C) et in fine (763 B—F) loquitur de opinione, atque communibus illis sententiis inseruit, apte in fine (763 D—F), initio partim bene (756 C—D, 757 A), partim pessime (756 E—F), ad ipsum Amorem spectantes. Deinde transgreditur ad comprobandam

Amoris divinitatem tam indiligenter, ut hac parte (757C—763B) demonstrare contendat, quod priore demonstrari oportere negaverit. Atque quae 757C—759D exhibet, ipse, undecumque sumpta sunt, composuit. Quibus confectis divinam potentiam et utilitatem Amoris ostendere studet. Ad hoc efficiendum praesto ei est vasta ac varia materies sive in fontibus sive in hypomnematibus; et primum, ut Amoris cum Veneris potentiam comparet, speciei potentiae subicit cum alia (759F), tum fragmentum aliquod laudationis Amoris puerilis: addit Alexandri apophthegmata. Deinde quae alicubi invenit de populis et viris praeclaris et amatoriis aptat, additis Niobidis aliisque rebus, ad eas quas e Platone sumpsit sententias et his quoque eam quam demonstrare contendit ostendi potentiam dicit. Tum compluria, quacumque ratione collecta quocumque in exemplo inventa sunt, inter documenta utilitatis collocat. Denique ad communem opinionem revertitur. —

A Soclaro ceterisque admonitus pater 764B — 766B ab argumento longius digreditur:

Aegyptios cum tertium Amorem Solem esse credant, similitudinem quandam assequi; ipsis autem esse tenendum non eundem atque Amorem esse solem, cum diversum sit ab anima corpus (764B — E *νοητόν*). Immo dicere aliquem licere contraria effici ab Amore et ab sole, cum hic avertat animum a rebus intellegendis ad accipiendas sensu, ille, si animam attingat generosam, sicut mystagogus benignus ei adstet et in terris ad veritatem ducens et post mortem ex inferis ad campum veritatis sursum efferens[1] (764E — 765A

[1] Multa toto hoc loco corrupta et mutilata sunt; unum tamen perspexisse mihi videor. 764F — 765A hiat in E lacuna 7—10. in B 9—12 litterarum post *καὶ σωτῆρος*. Certum est desiderari *ὅς*, ut coniungantur quae antecedunt et quae secuntur lacunam. Ad cetera explenda oportet totius loci sententiam explicemus. — Quae hic docet de animis, maxima e parte hausta sunt e Platone. Omnium hominum mortuorum animae

μυσταγωγός). Huc autem rursus missorum non cum ipso per se animo congredi eum, sed per corpus (sc. oculos amantium), et corporeis propositis simulacris illius verae pulchritudinis memoriam sensim excitare. Unde pravos stimulatos ab amicis affectum exstinguere conatos fructum non percepisse; qui

---

mittuntur in Orcum ibique in iudicium deduci videntur (Plat. Phaed. 107 D E. 108 C. 113 D). Quo confecto pravae retinentur in Orco vel vagantur supra terram (766 B; cf. Plat. Phaed. 81 D. 108 A B); sed quae vero amore occupatae erant, *ἐξ Ἅιδου* mittuntur recta via in pulcherrimum illud *πεδίον ἀληθείας* (765 A; cf. Plat. Phaed. 114 B/C coniunctum cum Phaedr. 249 A B) et *περὶ τὸν αὐτῆς* quaeque *θεὸν χορεύει καὶ συμπεριπολεῖ* (766 B: cf. Plat. Phaedr. 252 C D); unde longo temporis spatio intermisso deducuntur in lunam, obdormiunt, renascuntur (766 B; cf. Plat. Phaedr. 249 etc.).

Ad hanc igitur doctrinam e Platonicis de rebus post mortem futuris sententiis commixtam pertinent 764 F sq. verba *ἐξ Ἅιδου κτλ.* Prior autem huius sententiae pars (*⟨ὡς⟩ διὰ σωμάτων ἀφικόμενος*) spectat ad eam vitam, quae in terris degitur; ita ut sit tota sententia: qui postquam per corpora illapsus est, dux ad veritatem ex Orco et ad campum veritatis, ubi posita est — pulchritudo — — amplecti desiderantes subducens — sicut qui mystagogus vocatur — adstat. — Primum autem veri dissimile est auctorem dixisse *ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν καὶ τὸ ἀληθείας πεδίον*. Deinde hunc in modum omittitur inter *ἀφικόμενος* et *ἐξ Ἅιδου* intercidere mortem. Denique vero et inprimis antecedit animam humanam quaecumque hic in terris, in hac vita videat (*πᾶν ἐνταῦθα*), vera et unica putare pulchra et pretiosa, praeterquam si ei contingat dux Amor: iam manifestum est tum demum satisfieri sensui, si dicatur anima hic in terris decipi et errore contineri, nisi hic in terris ad veritatem ducatur ab Amore.

Qua re apertum fit *ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν* ad res intra vitam humanam accidentes pertinere et aliter atque facere solent lacunam esse explendam; sententiae satisfit hoc modo: *πᾶν ἐνταῦθα πειθομένῃ τὸ καλὸν εἶναι καὶ τίμιον, ἂν μὴ τύχῃ θείου καὶ σώφρονος Ἔρωτος ἰατροῦ καὶ σωτῆρος. ⟨ὡς ἐνταῦθα μὲν⟩ διὰ σωμάτων ἀφικόμενος ἀγωγὸς ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν, ἐξ Ἅιδου δ' ἐπὶ τὸ ἀληθείας πεδίον οὗ τὸ πολὺ — — ἵδρυται κάλλος ἀσπάσασθαι — — ποθοῦντας ἐξαναφέρων καὶ ἀναπέμπων, εὐμενὴς οἷον ἐν τελετῇ παρέστη μυσταγωγός.*

Sententiam eius modi, non verba fuisse asseveraverim, et restant multa hoc loco (764 F) emendanda.

autem sana ratione tanquam furorem illi igni ademerint, eos parvo temporis spatio corpus amatorum praetereuntes in animo similitudinem divinae illius pulchritudinis investigare nactosque pergaudere (765 A — D *ἀγαπητόν*).

Poetas autem plerumque alludentes ad Amorem cum Iridis filium eum esse dicant veritatem contingere videri. Amore enim animi memoriam refringi ab eis quae in terris dicantur pulchris ad divinum illud verumque pulchrum; quod plerique imagines consectantes praeterire, ingenuos amatores summo gaudio percipere (765 D^{b} — 766 A *τὴν διάνοιαν*). Et mortuos circa suum quemque deum versari in caelo (— 766 B *γενέσεως*). —

At haec maioris esse sermone proposito argumenti. Ceterum Amori id quoque sicut ceteris deis esse, ut gravis sit aversantibus (766 C — E *πεπεικὼς* * *). —

764 B — E cum bene inter se conexa sint, dubium adhuc est, utrum iam ab alio quodam auctore coniuncta an ab Amatorii scriptore inventa sint. — Mire autem ab eo quod sibi proposuerat consilio pater decedit. Nam cum 764 A Platonicam sapientiam omittere, Aegyptiorum autem fabulas, quibus amantium apud inferos meliorem fore condicionem docerent (762 A), breviter antea perstrictas [1] fusius explicare a Soclaro iussus ita rem se acturum esse promiserit, nunc tamen neque ea quae de Aegyptiis disserturum se esse pollicitus est disserit, quoniam quo iure Solem tertium quendam Amorem putent perquirit, quae de rebus post mortem amantibus futuris similia Platonis doceant omittit, et planissime his opponit (*καὶ τἀναντία φαίη τις ἂν ἥλιον Ἔρωτι ποιεῖν, ἀποστρέφει γὰρ* et quae secuntur usque ad 766 B) 764 E—766 B, quae, quanquam ab ipso auctore sive sermonis sive libelli

[1] Paulo indiligentius Soclarus dicit 764 A *ὁρᾷς — ὅτι δεύτερον ἤδη τοῖς αὐτοῖς περιπεσὼν κτλ.*, deinde *καὶ γὰρ ἄρτι τοῦ Πλάτωνος ἅμα καὶ τῶν Αἰγυπτίων — ἀψάμενος παρῆλθες* (sc. 762 A) *καὶ νῦν ταὐτὰ ποιεῖς*, quoniam Aegyptiorum pater non mentionem fecit nisi semel.

unde ille hauserit conscripta sunt, emanaverunt tamen e ratione Platonica. Et potuit sane auctor aut in 764 B — D quatenus Aegyptii Platonem adaequare valuissent aperire, aut facillime 764 B — 766 B ita, ut nunc exstant, sine offensa instituere, modo Soclarum alia postulantem fecisset; neutrum quod fecit, mihi quidem signum est calami nimis festinantis, nisi forte libellum emendaturus erat antequam ederet, neque tamen edidit. —

765 A *ἐνταῦθα* — D *ἀγαπητόν* et 765 D *τὰ μὲν οὖν* — 766 A *τὴν διάνοιαν* tanta[1]) sunt inter se similitudine, ut non e diversis fontibus hausta, sed aut utraque ab eodem nostro auctore conscripta aut altera apud alium scriptorem inventa, altera secundum exemplum illud ab auctore sermonis composita esse certum sit. Videmus autem, ut diiudicemus rem, 765 C verba fieri de eis, *ὅσοι σώφρονι λογισμῷ — οἷον ἀτεχνῶς πυρὸς ἀφεῖλον τὸ μανικόν*, in eis autem quae antecedunt mentionem ullius affectus vehementioris et ignis furiosi similis (v. 765 B *κινεῖ τὴν μνήμην ἀτρέμα διὰ τούτων ἀναφλεγομένην τὸ πρῶτον*) omitti, neque apparere, quo modo ei qui lenem illum memoriae ignem exstinxerint[2]), vel fumo et tumultu se

[1]) Initium fit ab comparatione; deinde discernuntur 765 B C *διὰ σκαιότητας ἔνιοι — — τοὺς ἡδονὰς σκοτίους — — ῥυέντες* ab eis *ὅσοι σώφρονι λογισμῷ κτλ.* et 765 F sq. *οἱ πολλοὶ — — οὐδὲν ἡδονῆς — — δύνανται λαβεῖν βεβαιότερον* ab indole *εὐφυοῦς ἐραστοῦ καὶ σώφρονος*: cf. porro 765 B *ἔσοπτρα* et 765 F *ἐν κατόπτροις*, atque 765 D *ἐμπαθοῦσι τῇ μνήμῃ — — — πρὸς ἐκεῖνο τὸ ἐράσμιον ἀληθῶς καὶ μακάριον καὶ φίλιον ἅπασι καὶ ἀγαπητόν* et 765 F *ἀνάκλασιν — τῆς μνήμης — εἰς τὸ θεῖον καὶ ἐράσμιον καὶ μακάριον ὡς ἀληθῶς ἐκεῖνο καὶ θαυμάσιον καλόν*.

[2]) 765 B sententia *ὅθεν διὰ σκαιότητας* (sic recte Bernard., trad. *-ότητος*) — *πάθος* non est integra. Neque enim propterea quod conantur amici illam animi affectionem exstinguere, exstinguitur, sed amantes quoque ipsi culpa obstricti sunt; et qui opponuntur 765 C *σώφρονες*, eorum quoque amorem saepe amici exstinguere conantur, neque hac re hi ab illis differunt, sed eo quod *οἱ σώφρονες* amicos ab amore suo defendunt, illi sua culpa vincuntur, cum praviores sint quam ut se defendere possint. Itaque Reiskius et Wilamowitzius sic correxerunt: *ὅθεν διὰ*

opplere vel ad voluptates tenebrosas ruere possint: desideramus igitur quam maxime affectum vehementissimum simili modo ac Plat Phaedr. 251 describi. Quod auctor non cum ipse suis sententiis argumentaretur omittere potuit, sed cum exemplum aliquod in brevius contraheret praeterisse eum necesse est; postea in poetae versibus interpretandis imitatus illam exempli dissertionem easdem res ipse suis verbis exposuit. Accedit huc quod, cum in eis, quae praeeunt, *δευρὶ — μυσταγωγός* non re vera verbis *ἐξ Ἅιδου δ' ἐπὶ τὸ ἀληθείας πεδίον — ἀναπέμπων* ad caelum animae ducantur, immo potius in terris versentur, parum apte 765 A—D adiunguntur verbis *ἐνταῦθα \δὲ\ πάλιν πεμπομένων*; qua re veri simile fit 764 E *εἰ δὲ μὴ* — 765 A *μυσταγωγός*, cum seiungenda sint ab eis quae e fonte hausta esse intelleximus 765 A—D, ab ipso auctore conscripta esse idcirco, ut quasi exordio perduceremur ad illam de veri Amoris natura quaestionem.

Deinde ad 765D[b]—766A *τὴν διάνοιαν*, quae ab ipso auctore composita esse perspeximus, bene annexae sunt 766B illae de condicione amantium mortuorum sententiae; ita ut in illo exemplo, cuius solas reliquias eruimus 765A—D[a], an quaestio fuerit, quomodo Amor in vita humana se gereret, non fuerit de rebus post mortem futuris dubitari possit. 766C—E pater ad proprium tertiae huius partis dialogi argumentum revertitur.

Lacuna quae non mediocriter hiat (766 E) inter verba *πεπεικώς* et *ἔτι τοίνυν* ut expleatur, invenimus 771 D *τῶν Θεσπιῶν ἐγγὺς οὖσιν* et *οὐκ — προάξετε θᾶσσον*, quibus e verbis post caput vicesimum thiasum de Helicone profectum cetera in itinere disseruisse concludimus. Qua parte sermonis profecti sint eo definire possumus, quod pater longis digressionibus perfectis 766 C ad prius orationis argumentum

---

σκαιότητας ἔνιοι φίλων καὶ οἰκείων σβεννύναι πειρώμενοι βίαι καὶ ἀλόγως τὸ πάθος οὐδὲν ἀπέλαυσαν αὐτοῦ χρηστόν.

revertitur; propterea enim revertisse videtur, quod constituit orationem illa de Gorgone fabella finita ad profectionem ita convertere, ut diceret sicut illis mulieribus, ita et gymnasii praefectis ceterisque Amorem iratum fore, si ei resisterent: quod ut impediretur, proficiscendum esse litemque componendam.

Iam Zeuxippus aliorum auctoritatem adversus Amorem profert (v. 767 C). E tota patris oratione quae sequitur lacunam elucet Amorem nuptialem vehementer petitum esse; et multis quidem locis, cum aliis tum capite 23., demonstrari videatur impetum ita factum esse, ut devinceretur Amor nuptialis comparatus cum puerili. At si hoc verum esset, primum illi Zeuxippi auctores non essent *ἀνέραστοι* (767 C), quoniam obsequerentur amori puerorum. Deinde perperam pater diceret *τὸν Ἔρωτα* a Zeuxippo idem factum esse atque incompositam libidinem (767 C), cum ei dicendum esset *τὸν γαμήλιον Ἔρωτα*. Maximum vero momentum habet dispositio orationis eius qua pater impetum repulsat. Cuius pars prima quae servatur (*ἔτι τοίνυν* — 767 C *οὐδέτερον* [*γὰρ*][1] *εὔλογον οὐδ' ἀληθές*) est ultima pars eius argumentationis qua *πάντα ἀμφοτέροις τοῖς γένεσι κοινῶς ὑπάρχειν* demonstratur. Iam si Zeuxippus ita impetum fecisset, ut Amorem puerilem bonum, nuptialem pravum diceret, fieri non poterat, quin ex his (*ἔτι τοίνυν — οὐδ' ἀληθές*) argumentis iam prima pars constaret ipsius refutationis; quippe quibus ostendatur Amorem nuptialem non deteriorem esse puerili. Apparet autem patrem in animo habuisse non his sententiis nisi fundamentum quoddam refutationis iacere; certissimum enim est 767 C demum verbis *κοινῶς ὥσπερ δέδεικται τοῖς γένεσι πάντων ὑπαρχόντων ὥσπερ κοινοῦ συστάντος ⟨αὐτοῖς ἀγῶνος⟩*[2], *ὦ Δαφναῖε, πρὸς ἐκείνους*

[1]) *γὰρ* delevit Wilamowitzius.

[2]) Perperam supplevit Basilius Leonardus (*Κριτικὰ καὶ ἑρμηνευτικὰ εἰς τὸν Πλ. Ἐρ.*, Athen. 1894. diss. Erlang.) *ὥσπερ κοινοῦ συστάντος ⟨ἡμῖν πολέμου⟩*; *κοινὸν* enim dicitur certamen non patris et Daphnaei, quippe

μαχώμεθα τοὺς λόγους οὓς ὁ Ζεύξιππος ἀρτίως διῆλθεν eum transire ad ipsam refutationem, hac autem non id efficere studere, ut adaequare puerilis virtutem Amorem nuptialem demonstret, sed id, ut neque hunc neque illum esse libidinem incompositam ostendat.

Quibus e rebus elucet Zeuxippum non comparasse cum puerili Amorem nuptialem, sed illius mentione omnino neglecta ita fere locutum esse, ut dubitaret, quo iure pater amore homines efferri ad bonum et verum dixisset. Multos enim dicere amore semper efferri coniuges ad petulantiam et impudicitiam, et ipsa re venerea prohiberi ab amicitia et virtute.

Itaque in eis quae secuntur lacunam iam media versamur in quarta totius sermonis parte, qua pater amorem non esse cupiditatem libidinosam demontraturum se esse pollicetur; initio autem 766E—767C[a] nondum contra ipsam Zeuxippi argumentationem signa infert, sed subsidium sibi comparat, cum, si semel oppugnetur Amor, non ita ut faciat Zeuxippus distinguere inter nuptialem et puerilem licere dicat; immo si quis nuptiali, eum puerili quoque Amori obtrectare, quoniam et cetera omnia et causae amoris utriusque sexus communes sint. Nam posse cum Epicureorum illa simulacra et a pueris et a feminis delabi, tum divinae illius pulchritudinis viros admoneri formis ut adulescentulorum ita mulierum, dummodo ingenium castum eluceat in venustate formae [1]). Quam nunquam inveniri in feminis absurdum esse dictu, neque ullo

---

qui et ipse Amori nuptiali obsequatur (v. 749 B etc.), sed Amoris nuptialis et puerilis, cum praesertim hoc ut demonstraret antea demonstravit pater *κοινῶς πάντα τοῖς γένεσιν ὑπάρχειν*. Supplendum igitur cum Madvigio-Bernardake *⟨τοῦ ἀγῶνος⟩*, vel ut expleatur 12—15 litterarum quod exhibet E spatium *ὥσπερ κοινοῦ συστάντος ⟨αὐτοῖς (τοῦ) ἀγῶνος⟩*.

[1]) 766 F idem conieci quod Basilius Leonardus invenit, probavit Pohlenzius (Berl. phil. Wochenschr. 1897 p. 295): *ὅταν — ἴχνη λαμπρὰ καὶ σημεῖα* (trad. *καὶ κείμενα*) *ψυχῆς ὀρθὰ καὶ ἄθρυπτα κατίδωσιν*.

iure in forma mulieris ingenii modesti atque pudici lumen saepe effulgere negare, vel effulgere, neque tamen movere amorem contendere licere.

Desideramus quasi colophonem argumentationis: quae cum ita progrediatur: 'si feminae pulchrae et honestae sunt, ab his quoque causae amoris proficisci possunt; sunt pulchrae; sunt honestae', pulchras nonnullas esse mulieres profecto *μὴ φάναι ἄτοπόν ἐστι* (767B): contra ingenium quoque probum inveniri in feminis non praedicandum, sed quam maxime demonstrandum est; cum praesertim in hoc ipso negando tanquam in cardine demonstrationis adversarios perseverasse atque obdurasse veri simillimum sit, quia si hoc refutetur ne amor quidem verus e feminis oriri possit, quippe cui vestigium aliquod divinae pulchritudinis in ingenio amati invenire opus sit.

Sequitur ipsa refutatio, 767C—771C:

Iam cum utriusque et sexus et amoris omnia communia esse comprobatum sit, coniuncte ab utroque Amore pater pollicetur defensurum se esse illos homines inimicos: quos vel dotis vel prolis[1] gratia uxores ductas fructu percepto neglegere neque desiderare amari vel amare (767C—D *εὔνοιαν*). At cui amor insit, primum eum e re publica Platonica habiturum esse voces meum, alienum[2] (— 767E *νομίζοντες*). Deinde inseri animis ab Amore non externam illam atque invitam, sed veram continentiam et verecundiam, qua commoti cum alii multi tum Lais ex libidinosis uni amatori morigeri facti sint (— 768A *καλοῦσιν*) et[3]) ancillulae herorum privatique

[1]) Sic: nam et huius loci sententia atque verbis *ἐναπογεννήσαντες καὶ καρπὸν ἀράμενοι* spectatis et collatis 142 F *τῶν διὰ προῖκας ἢ τέκνα γαμούντων* non recte mihi videtur Xylander vertisse 'pueros potius quam mulieres sectantes', deinde 'libidine exsaturata in quovis corpore'.

[2]) In his verbis omnia recte se habere neque iniungendam esse particulam *οὐχ* ante *ἕξει* cognovit Wilamowitzius collato Platonis loco (R. p. 462C: *ἐν ᾗτινι δὴ πόλει πλεῖστοι ἐπὶ τὸ αὐτὸ κατὰ ταὐτὰ τοῦτο λέγουσι τὸ ἐμὸν καὶ τὸ οὐκ ἐμόν, αὕτη ἄριστα διοικεῖται*).

[3]) 768A cum non exemplum addatur sicut 767F *ὥστε δήπουθεν* —,

homines reginarum cubilia spreverint (— 768 B διατελοῦσιν) et ingenua coniunx omnium maxime concubitum alieni viri fugiat atque aversetur, cuius rei Cammam[1]) exemplum adesse (— 768E ἀποθανεῖν).

Talia cum multa acciderint, immerito Venerem accusari, quod Amori nuptiali adiuncta amicitiam fieri prohibeat. Maris enim cum mare consuetudinem, quam qui libenter patiantur inhonestissimi existimentur, qui inviti, neminem magis oderint quam auctores sceleris, non Veneri tribuendam, sed lasciviam putandam esse. Coniugibus autem rebus venereis oriri atque renovari amicitiam (768E—769E ἐν τῇ τοιαύτῃ φιλοφροσύνῃ). Atqui saepe malos et furiosos esse amores muliebres: saepius vero pueriles; furorem igitur utrumque eiusmodi affectum, neutrum amorem esse (—769B Ἔρως ἐστίν).

Repugnare igitur ad rationem si quis mulieribus esse virtutes neget, cum praesertim ne fortitudine quidem careant; concedere autem eis ceteras virtutes, solam tamen amicitiam ab eis abiudicare, id vero prorsus ineptum esse; nam hac ipsa eas omnibus antecellere. Venustatem autem formae, quanquam impudicae mulieri sit instrumento luxuriae, honestis ideo dari ab natura, ut viri sui amorem sibi servent coniugiumque ad amicitiam perducant (769 B[b]—E τὸν γάμον).

Iam quod initio saepe interveniant animi commotiones et morsus, non esse quod aliquis vereatur ut volnus; quanquam ne hoc quidem verendum cum proba muliere in unum convenire volnere accepto, quoniam sic demum fiat praegnatio. Neque inesse nisi initio ut philosophiae ita amori acerbitatem; paulo post ipsum amorem coniuges ducere in omnium firmissimam amicitiam (769E[b]—770A ἡ δὲ γυνή); nam morem quoque et hominum et deorum mundique eis subsidio esse (—770B καὶ κίνησιν). — Sed ne longius evagetur: utriusque amoris

sed nova quaedam sententia adiungatur sicut 768 B ἡ δὲ γενναία γυνὴ —. opus videtur ἴωμεν δὲ pro ἴσμεν δή.

[1]) 'Camillam' Basilius Leonardus.

societatem constantem esse, neque, quod negent amores pueriles per longum temporis spatium durare, ad germanos pertinere amatores; neque tamen multos hos esse, neque per tantum tempus perstare societatem, per quantum sescentos coniuges summam amicitiam ac fidelitatem servasse videamus, cuius rei exemplum adesse Emponen (770 B—771 C). —

767 C mirum est, ut pater amorem neglectis differentiis sexuum defensurum se esse polliceatur, quia amorem non esse cupiditatem incompositam, sed ad amicitiam et virtutem ducere iam satis superque cum aliis locis tum 764 F—766 B demonstratum est[1]). Sed ut hoc eo defendatur quod Zeuxippus denuo eandem quaestionem movit, monendum tamen est in hac quoque oratione amorem muliebrem illo crimine iam purgatum esse 766 E—767 C^{a}, praeterquam quod mulieres non expertes esse virtutum nondum probatum est.

At ut hoc quoque omittamus: quo modo Amor 767 C sqq. defenditur ab opprobriis auctorum Zeuxippi? Initio (767 C—E^{a}) omnino non ab illo crimine libidinis defenditur, sed demonstratur quantum intersit in re familiari administranda inter coniuges non amantes et amantes. Eis porro quae secuntur (767 E ἔπειτα σωφροσύνη—768 E^{a}) primo sane conspectu videtur Amor, quanquam non, ut pollicitus est pater, uterque, attamen muliebris, defendi ab illo crimine licentiae: accuratius autem inspectantibus apertum fit hac quoque demonstrationis parte, ut 767 C^{b}—E^{a}, re vera non comprobari Amorem vacare ab illo vitio, sed comparari[2]) homines amoris expertes ita cum amatoriis, ut hi multo meliores demonstrentur. Itaque, ut paucis rem dicam, 767 C—768 E^{a} non defendebatur ab eo, qui haec conscripsit primus, amor vel uterque vel muliebris comparatus cum puerili ab illis opprobriis, sed demonstra-

[1]) Ita quoque accidit, ut compluria bis dicerentur, velut amore expelli avaritiam 762 C et 767 D, atque ferociam 762 E F et 767 E.

[2]) v. Ἔρωτι δὲ — —, ἐπεὶ δ' Ἔρως ἐδίζεν αὐτῆς, ὅταν Ἔρωτα δεσπότην ἐν ψυχῇ κτήσωνται, οἷς ἂν Ἔρως κύριος ἐγγένηται.

batur necessarius esse matrimonio oppositis eius modi matrimoniis, quibus deesset amor: sic tantum 767 C—768 E[a] plane intelleguntur. Quare, quia longe aliud atque sibi proposuerat verbis 767 C *ὥσπερ κοινοῦ συστάντος* \ *αὐτοῖς ἀγῶνος* \ — *πρὸς ἐκείνους μαχώμεθα τοὺς λόγους, οὓς ὁ Ζεύξιππος ἀρτίως διῆλθεν, ἐπιθυμίαι τὸν Ἔρωτα ταὐτὸ ποιῶν ἀκαταστάτῳ καὶ πρὸς τὸ ἀκόλαστον ἐκφερούσῃ τὴν ψυχήν*, auctor non demonstraret, si ipse has sententias 767 C—768 E[a] composuisset, sequitur, ut 767 C *ἀλλὰ κοινῶς* — *ἀνεράστων* ipse conscripserit, at 767 C *ὧν οἱ μὲν* — 768 E[a] apud alium auctorem inventa paulo incautius in suum usum convertere conatus sit.

Iam si hanc, quam modo ostendimus, fuisse principalem sententiam particulae 767 C—768 E[a] accipimus, 766 E[b]—767 C[a] non iam sunt quasi fundamenta refutationis sequentis, sed, cum praesertim non tam demonstretur eadem utriusque amoris communia esse, id quod effecisse se dicit pater 767 C *ἀλλὰ κοινῶς ὥσπερ δέδεικται τοῖς γένεσι πάντων ὑπαρχόντων*, quam muliebrem non esse pravum vel spurium, ostendunt amorem nuptialem non minus generosum probumque quam puerilem, id est fere illud quod patrem inde ab 767 C se explanaturum esse polliceri, neque tamen conficere vidimus. —

Cap. 23. 768 E[b]—769 B *Ἔρως ἐστίν*, si ita conspicimus ut Plutarchus res exhibuit, ab eis quae antecedunt plane seiuncta sunt. Iam enim non id quod quanquam non confecit, attamen voluit auctor 767 C—768 E[a], Amor, sed Venus defenditur: *τίς ἂν ἀνάσχοιτο τῶν τὴν Ἀφροδίτην λοιδορούντων*; Hac ratione ut decederet ab dispositione videtur pater eo adductus esse, quod Zeuxippum in illa accusatione re venerea coniuges ab amicitia et virtute prohiberi dixisse veri simile nobis videbatur (p. 20). — Sed ut ita hac de re facile excusemus auctorem, maxime tamen in eo offendimus, quod 767 C dixit pater *ὥσπερ κοινοῦ συστάντος αὐτοῖς* (sc. *τοῖς γένεσιν*) *ἀγῶνος* — *μαχώμεθα*, hoc autem loco neglecto illo consilio valde amor puerilis vapulat, coniugium laudatur. Ita adversus

suum propositum auctorem non pugnaturum fuisse existimo, si ipse haec conscripsisset; itaque etiam 768 E^{b} — 769 B^{a} aliunde sumpta mihi videntur. — His similiter, atque opponitur in 767 C^{b} — 768 E^{a} matrimonium amantium ei cui desit amor, non tam amor quam coniugium crimine libidinis exsolvitur. Neque tamen haec illis continuanda videntur: primum enim 767 C — 768 E^{a} non defendunt, sed flagitant amorem, 767 B autem amor muliebris defenditur; deinde 768 E *κωλύει φιλίαν γενέσθαι* non habet in 767 C — 768 E^{a} quo spectet, cum haec non ostendant amorem ad amicitiam ducere; contra ea quae exstant 766 E^{b} — 767 C^{a} hoc ipsum ostenderent, si ad finem argumentatio perducta esset: melius igitur 768 E^{b} — 769 B^{a} subiungantur argumentationi illi imperfectae 766 E^{b} — 767 C^{a}. —

769 B *ἄτοπον* — E *τὸν γάμον* cum declarent mulieribus esse et virtutes et venustatem, neque ad defensionem criminis libidinis neque ad ea quae praecedunt conveniunt. Quo modo huc irrepserunt? Omnino ipsa ea sunt quae desideravimus 767 B/C[1]; quo si adiungantur, illa argumentatio sic perficitur: 'Amor muliebris non pravior est puerili, cum non genitalia, sed indoles bona et pulchritudo generosum amorem suscitent (766 E^{b} — 767 B), mulieres autem utantur et virtutibus cum aliis, tum talibus, quales ad praeclaram illam amicitiam ducere possint (769 B^{b} — C^{a}), et venustate corporis (769 C^{b} — E^{a}).' —

Cap. 24. 769 E *τὸ δ' ἐμπαθὲς* — 770 A *γυνή* rursus paucis initio defenditur, ceteris necessarius matrimonio demonstratur amor, qua re optime haec subiungantur ad 767 C — 768 E^{a}: 'Si amor adest matrimonio, verecundia (*σωφροσύνη*) et fidelitas adsunt (767 C — 768 E^{a}); quanquam initio res non videtur verecunda esse, cum vehementer animum exagitet, at hoc ipsum necessarium est ad commixtionem et fidelissi-

[1]) Cum hic vel alibi dico aliquam partem demonstrationis sumptam esse ex loco quodam fontis alicuius, non nego hoc vel illud argumentum vel poetae locum vel similia posse esse ab auctore addita aut eiecta aut commutata.

mam amicitiam perficiendam (769 E^{b}—770 A^{a}).' Quo ex contextu extruduntur praeter 769 B *ἄτοπον* — E *γάμον* etiam 768 E^{b}—769 B^{a}, atque bene continuantur sententiis 769 B^{b}—E^{a} adiunctis ad 767 C^{a}.

770 A *καὶ γὰρ* — B *καὶ κίνησιν* recte cohaerent cum 769 E^{b}—770 A *γυνή*, cum haec quoque demonstrent Amorem necessarium esse coniugio. —

Eis, quae inde ab 770 B *ἀλλ' ἵνα* secuntur, denuo amor muliebris comparatur cum puerili, quare secreta ab 769 E^{b}—770 B^{a} bene annectantur illis de amicitia sententiis vel 769 E^{a} vel 769 B^{a}. —

Cognoscimus igitur haec omnia non ab ipso auctore elaborata, sed e fonte aliquo hausta parum caute in aliam formam fusa esse.

Exempli autem priore parte demonstrabatur Amor muliebris non minus generosus esse quam puerilis, cum et ipse quoque ad amicitiam virtutemque duceret, et rebus venereis non, ut puerilis, hoc facere prohiberetur, sed adiuvaretur. — Altera[1] parte declarabatur Amor nuptialis non modo non noxius, sed etiam necessarius esse ad verum matrimonium conficiendum[2]).

II.

Fontem quendam certe investigavimus etiam 759 F^{b}—760 C^{a}, quo Amor puerilis laudatur comparatus cum muliebri.

Iam non merito crimine procacitatis temeritatisque, quanquam non omnia omni modo stabiliri poterunt, alias horum exemplorum reliquias eruere conabimur.

Quae 760 B/C dicuntur de societatibus firmissimis aman-

[1]) Neque enim est cur haec alio e fonte sumpta esse existimemus atque illa; argumenta praeterea in parte II. huius capitis praesto erunt.

[2]) Fragmentorum ordinem ita mutare auctor coactus est, quod non Amorem muliebrem parem vel superiorem puerili, sed Amorem non esse libidinosum demonstrare contendebat.

tium, in memoriam nobis vocant 770 B C, ubi societates coniugum laudibus efferantur. Veri igitur simile est etiam in illa Amoris puerilis laudatione dissertationem qua hic Amor ad amicitiam ducere amantes demonstretur antecedere, eandem deinde illis exemplis confirmari, sicut fit in laudatione Amoris muliebris. Ita vero 764 E—766 B interpretati sumus, ut 764 E—765 A *μυσταγωγός* et 765 D *τὰ μὲν οὖν* — 766 B *γενέσεως* ab ipso auctore elaborata, at 765 A *ἐνταῦθα* — D *ἀγαπητόν* ex fonte aliquo sumpta viderentur. Sine offensa igitur 765 A—D, in quibus de rebus post mortem futuris non verba fiunt, sed de Amore in terris ad amicitiam et virtutem ducente amantes, in laudatione Amoris puerilis fuisse possumus existimare ante illa huius ipsius rei quam docent exempla quae nunc exstant 760 B. C. — Hac cum re convenit, quod 765 F afferuntur *οἱ παῖδας καὶ γυναῖκας διώκοντες*, contra in illa quae e fonte sumpta esse videtur particula non *γυναῖκες*, sed soli *νέοι, ἐρώμενοι.* —

Initio quae utrimque habentur actiones cum idem illud tractent, de quo in fontis laudationibus et puerilis et muliebris Amoris actum esse cognovimus, iam hac re veri simillimum fit ex eodem illo fonte emanavisse. Hunc auctorem quoniam utrimque vel per dialogum vel per epistulas de re egisse apparuit, possent etiam in fonte duae tales orationes, quales in nostro sermone exstant Protogenis et Daphnaei, praeisse principales illas argumentationes, quarum fragmenta 759 F—760 B etc. repperimus. At primum multo molestius esset in fonte hunc in modum easdem res initio brevius, deinde denuo fusius referri, quam est apud nostrum auctorem, qui postea dissimulare studeat iterum se loqui de differentiis, quae intersint inter Amorem nuptialem et puerilem, neque nisi materiam ad longe diversum consilium efficiendum adhibeat. Deinde mirum esset, ut ea argumentationis menda, quae supra in Protogenis et Daphnaei orationibus deprehendimus, exstarent in dissertatione non, ut veri simile est, in

brevius contracta et commutata, sed inde ab initio hoc modo constructa.

Huc accedunt alia. Nam supra (in I) intelleximus Daphnaeum 752 A non refutare Protogenem, qui 750C/D agnovisset matrimonium, negavisset amorem necessarium esse ad genus humanum propagandum: optime autem illi quod obiecit Protogenes respondetur 769 E verbis *μῖξις γὰρ οὐκ ἔστι τῶν μὴ πρὸς ἄλληλα πεπονθότων*—770 A *γεννήσεως κοινῆς* † *καὶ τοὺς θεοὺς Ἔρωτος ἡ φύσις ἀποδείκνυσι δεομένους κτλ.* — 770 B *κίνησιν*. Iam apparere videtur 750 C/D sumpta esse ex magna quadam laudatione Amoris puerorum, cui respondeat magna illa defensio muliebris, cuius pars est 769 E sqq., et Protogenis Daphnaeique orationes esse non quasi praelusiones, sed ipsas illas laudationes in angustum coactas. — Porro cum supra cognoverimus mire Daphnaeum a priore orationis parte ad alteram transgredi verbis 751 F *εἰ μὲν οὖν τἀληθὲς σκοποῦμεν* — , *ἓν καὶ ταὐτόν ἐστι πρὸς παῖδας καὶ γυναῖκας πάθος τὸ τῶν Ἐρώτων*, suspicio movetur, num haec sumpta sint ex fonte, qui antea non, ut Daphnaeus, quibus rebus distarent inter se Amores, sed qua de causa idem esse dici possent, explicaret. Hoc autem ipsum reperimus 767 C, ubi transitus quoque simillimus est *ἀλλὰ κοινῶς ὥσπερ δέδεικται τοῖς γένεσι πάντων ὑπαρχόντων*. Bene deinde etiam ad 767 B vel 769 E[a] quadrent, quae secuntur 751 F sq.: 'uterque amor idem atque unus est affectus; sed si quis litem intendat, primum antiquior est muliebris; deinde quod attinet ad rem veneream, non abstinet ea Amor puerilis — si abstineret, non esset Amor (752 B) —'. Iam quae exstant ante 751 F neque conveniunt ad mirum illum transitum, possunt confecta esse ab ipso auctore; sed simillima sunt eis quae dicuntur 768 E[b]—769 B[a], cum partim altera alteris suppleantur, quoniam 751 *χάριτι* uti muliebrem Amorem pluribus ostenditur, 768 *παρὰ φύσιν* agere puerilem magis elucet, partim eadem sint: ad *ἀναφρόδιτος* 751 E cf. *ὕβρις τάδ' οὐχὶ Κύπρις*

ἐξεργάζεται 768 E, ad *βαίνεσθαι—νόμωι ἱεροφάντης* cf. *ἐπιτήδησιν*. Iam quia commiscenda videntur 751 C—E et 768 E[b]—769 B[a], haec autem cognovimus, ut fontem restituamus, transponenda esse post 769 B[b]—E[a] annexa ad 767 C[a], et quia Daphnaeus maris cum mare consuetudinem quanquam iam 751 C—E satis tractavit, 752 A iterum petit. 751 C—E coniuncta cum 768 E[b]—769 B[a] post 752 B[a] collocanda censebimus; ita ut Daphnaei orationem centonem esse existimemus consutum pannis evolsis ex altero capite prioris partis laudationis illius Amoris nuptialis quam supra (p. 26) circumscripsimus. Nunc etiam id, quod initio (p. 4) nobis notavimus, intellegimus, cur Daphnaeus non apte refutet Protogenem, cum non demonstret nuptialem quoque Amorem ducere ad amicitiam, sed rebus venereis coniuges non prohiberi amicitia. Nam ut re vera Protogenem refelleret, auctori utendum erat priore capite prioris partis; neque tamen uti poterat, quoniam postquam Protogenes non demonstravit quem in modum Amor puerilis ad amicitiam duceret — id quod 765/6 demum fit —, Daphnaeus non demonstrare potest eadem cadere in nuptialem — id quod 766/7 fit. At ut videretur refellere, scriptor 751 C—E soluta e conexu sententiarum 751 F—752 B[a] anteposuit.

Protogenis vero orationi apertum est in 750 D E inserendum esse illud fragmentum 765 A[b]—D[a]. — Atque possint etiam 759 A *ἡ γὰρ* — D *φερομένη* vel nudae et principales sententiae quae illic continentur, cum argumentatio ea quae incepta est 758 E, paulo deflectatur[1]) et temere hoc loco amor animos ad virtutem ducere dicatur (759 C D), infarciri in illam 765 B inter *τὸ πρῶτον* et *ὅθεν* lacunam, ad quam explendam vidimus desiderari descriptionem affectus alicuius vehementioris et igni similis qualem reperimus et Plat. Phaedr. 251 et Amator. 759 A—D; quam in rem conveniat, quod

[1]) Iam non e similitudine ceterorum furorum, sed e vehementia huius conclusio fit.

759 A—D non puellae feminaeve, sed soli *οἱ καλοί* et *οἱ ἐρώμενοι* proferuntur.

Continuari possunt, sic ut in laudatione Amoris nuptialis ad 769 E[a] vel 769 B[a] adiunximus 770 B—771 C, illa amicorum fidelissimorum exempla 759 F—760 C.

Quae porro in laudationis Amoris muliebris capite altero dicuntur ut antiquior magisque ingenuus demonstretur, optime respondeant laudationi puerilis, si in hanc inseramus illum populorum virorumque praeclarorum amorique puerili deditorum indicem 760 E—761 E, quem nobis veri simillimum erat non ideo in fonte consertum fuisse, ut bellicosissimi, sed ut clarissimi antiquorum amori puerili obsecuti ostenderentur; inserendum autem eum esse vel multo confidentius censebimus, cum viderimus Athenaeum p. 601 E simillimas res[1]) his verbis exordientem: *ὅλως δὲ τοὺς παιδικοὺς ἔρωτας τῶν ἐπὶ ταῖς θηλείαις προκρίνουσι πολλοί. παρὰ γὰρ τὰς ἄλλας ταῖς εὐνομουμέναις πόλεσιν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος σπουδασθῆναι τόδε τὸ ἔθος.* —

Adiungere liceat paucas coniecturas. Neque enim silentio praeteribo, quanquam minus confidenter contendam, Pisiae quoque verba 752 B/C videri emanasse ex illo fonte, quoniam, si Protogenem 750 C—751 B Amorem nuptialem non exstare, vel, si exstet, inferiorem peioremque puerili esse declarare, Pisiam autem 752 B/C amorem a coniugio omnino prohibere intellegamus, bene his partibus respondeant duae illae partes laudationis Amoris muliebris, quarum priore hunc Amorem non peiorem esse illo, altera necessarium esse coniugio ostendatur; — et ex illo fonte esse hausta 762 E *ὅτι τῶν ἄλλων* —F *γαῦρον,* quibus partim eisdem verbis adhibitis[2]) 767 E/F optime respondeant, cum praesertim 762 E *ὁ καλός,* non mulieres quoque proferantur. —

Porro possunt Daphnaei verba 750 A/B, quibus ad Laium

[1]) Quae coniungendae videntur cum 561 C—562 A.

[2]) cf. *τὸ θράσος ἐκκέκλασται καὶ κατακέκοπται τὸ τῆς ψυχῆς γαῦρον* et *ἐκκόψας δὲ τὸ θράσος καὶ κατακλάσας τὸ σοβαρὸν καὶ ἀνάγωγον.*

alludit, decerpta esse ex illo indice nationum amatoriarum 761 B, cum etiam Plut. v. Pelop. capp. 18 19 similem in modum et illi Boeotorum mores et Laius commemorentur; cf. porro Am. 750 A *ᾧι καὶ παιδιὰ πᾶσα καὶ σπουδὴ περὶ Ἔρωτα* et vit. Pelop. 19 *οἱ νομοθέται — πολὺν μὲν ἀνεμείξαντο καὶ σπουδῆι καὶ παιδιᾶι πάσηι τὸν αὐλόν*[1]. — Atque e contextu 767 E (*σωφροσύνη — ἡ μὲν ἔξωθεν — — — πλέον ἔχουσα τοῦ ἑκουσίου τὸ βεβιασμένον ὑπ᾽ αἰσχύνης καὶ φόβων πολλῶν χαλινῶν ἔργον οἰάκων θ᾽ ἅμα*) possunt decerpta esse et quae Pisiae verbis fortasse e laudatione Amoris puerilis sumptis patris verba 752 C D (*τοῖς γάμοις ἀνέραστον ἐπάγων καὶ ἄμοιρον ἐνθέου φιλίας κοινωνίαν, ἣν τῆς ἐρωτικῆς πειθοῦς καὶ χάριτος ἀπολιπούσης μονονοὺ ζυγοῖς καὶ χαλινοῖς ὑπ᾽ αἰσχύνης καὶ φόβου μάλα μόλις συνεχομένην ὁρῶμεν*) respondent et 763 F *πολλαῖς συνωρίσι φιλίας καὶ κοινωνίας, οὐχ οἵαν Εὐριπίδης φησὶν ἀχαλκεύτοισιν ἐζεῦχθαι πέδαις, ψυχρὰν οὗτός γε καὶ βαρεῖαν ἐν χρείαι περιβαλὼν ὑπ᾽ αἰσχύνης ἀνάγκην*.

Neque tamen de his omnibus locis quicquam adhuc pro certo affirmasse velim, etiamsi mihi pleraque manifesta videantur.

Denique non possumus nisi suspicari sententiam 753 B et quae Zeuxippum obiecisse 767 C comperimus coniungenda esse cum Pisiae verbis 752 B/C.

Iam si omittimus hanc vel illam rem ab auctore additam aut commutatam esse, haec fragmenta utriusque laudationis eruta esse mihi videntur, quo in numero dubia uncis inclusa erunt:

[1]) Videntur haec in vitam Pelopidae fluxisse e fonte illo Amatorii; parum caute in Amatorio Plutarchum Aristotelis verbis usum esse, cum scriberet 761 D *Ἰόλαον — μέχρι νῦν σέβονται καὶ τιμῶσιν ἔρωτος* (*οἱ ἐρῶντες* Wachendorfius, observ. crit. in Plut., Duesseldorf. 1890) *ὅρκους τε καὶ πίστεις ἐπὶ τοῦ τάφου παρὰ τῶν ἐρωμένων λαμβάνοντες*, cognoscimus ex vitae cap. 18: *Ἀριστοτέλης δὲ καὶ καθ᾽ αὑτὸν ἔτι φησὶν ἐπὶ τοῦ τάφου τοῦ Ἰόλεω τὰς καταπιστώσεις ποιεῖσθαι τοὺς ἐρωμένους καὶ τοὺς ἐραστάς*; etiam 761 A *μέχρι νῦν* (*ἐφ᾽ οὗ μ. ν. ὁ μέγας ἐφέστηκε κίων*) suspectum est.

Amoris puerilis:

Ia. 750 D τὴν δ' ἐπὶ τοῦτο — F μόλις + 765 A ἐνταῦθα — D ἀγαπητόν (+ 759 A ἡ γὰρ — D φερομένη).
759 F ἔτι — 760 C ἑαυτῶν.

b. 750 F εἰ δ' οὖν — 751 B γυναικῶν.
760 E Κλεόμαχον — 761 E ἐνιαυτόν (+ 750 A ὦ Ἡράκλεις — B συμπλανώμενος).

II (762 E ὅτι — F γαῦρον +) 750 C ἀλλὰ ταῦτα — D γυναῖκας καὶ ἄνδρας + 752 B ὦ Ἡράκλεις — C προσῆκόν ἐστιν (+ 753 B ἐρᾶται — ἀκρασίαν + quae 767 C Zeuxippum protulisse comperimus).

Amoris nuptialis:

Ia. 766 E ἔτι — 767 C ἀληθές.
769 B ἄτοπον — E γάμον.
[1]770 B ἀλλ' ἵνα — D συνδιαφερούσας (+ 770 D—771 C).

b. 751 F—752 A γενέσεων.
752 A οὗτος — B ἀψίκορον.
751 B εὖ γε νὴ Δία — E + 768 E πολλῶν — 769 B Ἔρως ἐστίν.

II 767 C ἀνδρῶν δυσκόλων — 768 E ἀποθανεῖν (+ 752 C τοῖς γάμοις — D ὁρῶμεν + 763 F πολλαῖς — ἀνάγκην).
769 E τὸ δ' ἐμπαθὲς — 770 B κίνησιν.

III.

Ea quam nos restituere conati sumus ratione quis de utriusque Amoris virtutibus sive per epistulas sive per dialogum disseruerit vel quibus e fontibus ipse hauserit, nunc neque valeo neque meum est investigare. Id tamen, etiamsi ea quae uncis seclusimus omittamus, iam cognoscimus non eum fuisse inter vetustiores illos multos Amatoriorum similiumve librorum auctores, sed usum esse et priorum Stoicorum de Amore puerili doctrina nec non multis posteriorum

[1] Aut post Ib haec collocanda sunt.

et popularium quos dicunt de matrimonio sententiis, atque admiscuisse Peripateticorum scripta neque Epicureos prorsus praeterisse. Quae si quis accuratius perscrutabitur et discribet, proficiscetur ab eis, quae praeter ceteros Fridericus Wilhelm Mus. Rhen. 57 (1902) pp. 55 sqq. et Praechterus (Hierokles der Stoiker, 1901) multis locis velut pp. 135 et 147, 143 sq., 148—150, 76 sq. iam disseruerunt. Ego nunc quidem contentus sum monere cavendum nobis esse, ne, si in fragmentis illis laudationum inveniantur Aristotelis vel Aristonis vel aliorum sententiae additis auctorum nominibus, has ab ipso Plutarcho, ut hoc nomen indamus scriptori Amatorii, in illa fragmenta iniunctas esse credamus, priusquam in singulos locos accuratissime inquisiverimus, id quod nunc facere supersedeo neque multis locis facile transigitur[1]. —

Magis nostra interest scire, num commentario Musoniano ille laudationum auctor usus sit, cum, si hoc confirmetur, post Musonium eum vixisse, fortasse ipsum Plutarchum prioribus temporibus aetatis illas laudationes conscripsisse, appareat. Atque quae olim Wendlandius (Quaest. Mus. 1886, pp. 57 sq.) efficere studuit, etiam hodie multis probantur. — Primum autem in eos locos inquiramus, quos inter fragmenta laudationum habendos esse non confirmavimus. Atque tanta sane interest similitudo inter illum de uxorum divitiis locum 752 F (et *στστέλλων κτλ.* 754 A) et Clem. Alex. III 58 p. 288 P., ut uno atque eodem exemplo bene Clementem, minus commode Plutarchum usum esse manifestum sit; neque vero quo iure Musonio sententiam et verba attribuerit Wendlandius perspicio. Nimis autem usitato sensu et dissimiliores inter se sunt loci cum Plut. Am. 750 C *ταῦτα — πολλοὺς* et Stob. III 75, Clem. Al. II 95 p. 227 P., tum Plut. Am. 750 C *γάμον — ἱερωτέρα καταζεύξις* et Stob. III 4, Clem. Al. Strom. II 139 p. 503 P., quam ut ex eodem fonte fluxisse videantur. — Deinde illam

[1]) Minime certum est e. g. Hirzelii (II 233 A. 1.) de Cynosarge iudicium.

de immortalitate generis humani sententiam Platonicam 752 A (συνεργὸν ἀθανασίας — γενέσεων), quam artissime cum eo quem nos circumscripsimus tenore argumentationis ad laudes Amoris muliebris spectantis cohaerere intelleximus, quoniam cum non solam, sed unam e multis per hanc laudationem dispersis sententiam Platonicam, tum tritam esse talibus de matrimonio dissertionibus (cf. etiam Praecht. Hier. d. St. pp. 135 et 147) videmus, propter Stob. III 4 et 5 et Clem. Al. Strom. II 138 a Plutarcho deberi Musonio Wendlandius non mihi probavit; neque magis Phaedri locum Amat. 751 E βαίνεσθαι — παιδοσπορεῖσθαι, qui a Clemente Al. II 86 p. 222 P. adhibetur ad diversam rem demonstrandam, per Musonium ad Plutarchum pervenisse mihi persuasit. Quod si dicit, cum matrimonium ut sanctissima societas ab ipsa natura instituta laudetur ut Clem. Strom. II 139 p. 503 P. et Stob. III 4, ita Amat. 751 C/D, hunc locum sumptum videri e commentario Musoniano, hoc si verum esset non levi nobis esset momento, quoniam haec sententia non potest evelli ex ea demonstratione, qua nititur laudatio Amoris muliebris; sed et cum Plutarcheae sententiae vel consilium[1]) vel verba comparo cum Musonii, qualis exstat apud Stobaeum et Clementem, parva inter se esse similitudine videntur, neque inusitatum fuisse hoc argumentum defensionibus matrimonii et per se consentaneum est et a Praechtero pp. 143 sq. docetur. — Itaque non e Musonio haec ad auctorem laudationum pervenisse existimare cogimur neque his quicquam ad aetatem illius scriptoris definiendam efficitur.

Platonis dicta, cum et facile ab omnibus agnoscantur et iam a Winckelmanno pleraque suis quaeque locis allata, ab Hirzelio alia addita, alia omissa (II 232 A. 2.) sint, enumerare longum et inutile est. Neque quae admiscentur verba poetarum vel sapientium, similia, exempla, velut κοινὸς κα-

[1]) Plutarchus enim dicit matrimonium κατὰ φύσιν esse ideo, ut demonstret consuetudine non prohiberi ab amicitia coniuges, Musonius ut suadeat matrimonium.

λοῦσιν αὐτὰς καὶ τοῖς ἀνδράσιν ὀργιζομένας ὅτι σωφρονοῦσιν (753 C), quae una cum Platonis facetiis (769 D) inveniuntur coniug. praec. 141 F sq., vel vini similitudo (752 F), quae paulo commutata exstat 140 E sq., a Plutarcho iam coniuncta cum sententiis in fonte aliquo reperta an ab ipso inserta sint, quicquam ad nos facit disceptare.

Itaque pauca tantum addam de principalibus sententiis eis quae non sunt inter fragmenta laudationum.

753 A prius argumentum Protogenis utrum ex Hesiodi versibus emanarit an e Plat. Legg. 721 B vel 785 B haustum sit, incertum.

753 D — 754 C^{a} index mulierum, cuius similis invenitur Athen. XIII 576 C—577 A, videtur non inde ab initio in huius modi argumentatione exstitisse, cum non (754 A) contraria quoque exempla addantur, sed antea ad diversum finem compositus deinde a Plutarcho in suam demonstrationem insertus esse. — Sententia autem non sumpta est e laudatione, cum neque de Amore puerili atque muliebri agatur et de divitiis longe aliud praecipiatur atque 767 D, E, sed magna e parte (praecipue 754 B *ἑαυτὸν ἐγκρατείᾳ καὶ φρονήσει — ἴσον παρέχειν καὶ ἀδούλωτον, ὥσπερ ἐπὶ ζυγοῦ ῥοπὴν τῷ ἤθει προσθέντα καὶ βάρος κτλ.*) maxime nos admonet talium dissertionum, quales invenimus e. g. quo modo quis etc. 78 B, de fort. 97 D sqq., de virt. et vit. 100 D, de tranqu. an. 466 F sq., de ex. 599 F; etiam illa librae similitudo[1] saepius huius generis locis invenitur, velut 75 C. 76 E, 447 D. F, saepius. — Cf. 139 B. 142 E. 754 C—E sententiam *ἐν ἀρχῇ — κυμαίνει — καὶ μᾶλλον ἂν Ἔρως ἐγγένηται — — συνέχει τὸν γάμον οὔτ' ἄρχειν δυναμένων οὔτ' ἄρχεσθαι βουλομένων* invenit Plutarchus

[1] V. de omnibus illis scriptis et de illa similitudine Georgii Siefert diss. Jen., de aliquot Plut. script. mor. compos. atque indole, Lips. 1896.

sive in fonte quodam sive in hypomnematis: cf. coniug. prae c. 138 E^{b}. Cetera potest ipse elaboravisse.

755 E F quae Pemptides obicit sapiunt et aliorum et Antisthenis[1]) de amore sapientiam: v. Clem. Al. Strom. II 107 p. 485 P. (Winckelm. ad 755 E et Rohde.[2] Gr. Rom. p. 60 A. 3): eodem modo atque hic comparantur animi morbi cum corporis 'anim. an corp.' etc. 501 A/B (et multis similibus locis: v. Siefert.), ubi *ἔρως* enumeratur inter morbos animi.

756A—763F quod auctor in promptu habuisse nobis videbatur de deis credendis sententias, postea demum inseruisse Amorem, valde eo confirmatur quod illae sententiae theologicae, quas supra (in I) circumscripsimus, maxima e parte etiam aliis locis apud Plutarchum similem in modum adhibitae sunt;

nam ad 756 B *δοκεῖς — τὰ ἀκίνητα κινεῖν τῆς περὶ θεῶν δόξης — ἀρκεῖ γὰρ ἡ πάτριος καὶ παλαιὰ πίστις . . . ὕποπτος* cf. de Pyth. orac. 402 E *δεῖ γὰρ — τὴν — εὐσεβῆ καὶ πάτριον μὴ προΐεσθαι πίστιν* et de comm. notit. 1074 E *ἔδει τὰς περὶ θεῶν ἐννοίας — μεθέντας γ' ἐᾶν ὡς ἔχουσιν ὑπὸ τοῦ νόμου ἕκασται καὶ τῆς συνηθείας πρὸς τὸ θεῖον. οὐ γάρ τι νῦν γε — — ἀλλ' ἀεί ποτε ζῇ ταῦτα — οἱ δ' ὥσπερ ἀφ' ἑστίας ἀρξάμενοι τὰ καθεστῶτα κινεῖν καὶ πάτρια τῆς περὶ θεῶν δόξης οὐδεμίαν — ἔννοιαν ὑγιᾶ καὶ ἀκέραιον ἀπολελοίπασι* (et de Is. 369 B);

ad 756 C *οὐ γὰρ νῦν αἰτεῖ πρῶτον βωμὸν ὁ Ἔρως καὶ θυσίαν κτλ.* cf. de comm. notit. 1074 E *οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθὲς ἀλλ' ἀεί ποτε ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη:*

ad 757 B *ὁ δὲ Χρύσιππος — κατηγορίαν ποιεῖ κτλ.* cf. de comm. notit. 1075 A/B *ἀλλὰ Χρύσιππος καὶ Κλεάνθης — οὐδένα τῶν τοσούτων ἄφθαρτον — ἀπολελοίπασι*;

1) Peculiare autem Antisthenis nihil inest.

ad 763C Pindari versus *ἄνοσοι — Ἀχέροντος* cf. de comm. notit. 1075A *κεῖνοι γὰρ ἄνοσοι — Ἀχέροντος* et de superstit. 167F *κεῖνοι γὰρ — Ἀχέροντος*;

ad 763D Xenophanis dictum cf. de superst. 171E et de Is. et Osir. 379B/C;

ad 763C sqq. *τῆς δ' οὖν περὶ θεῶν δόξης — διδάσκαλοι γεγόνασιν ἡμῖν οἵ τε ποιηταὶ καὶ οἱ νομοθέται καὶ τρίτον οἱ φιλόσοφοι κτλ.* cf. de superstit. 167E *φιλοσόφων δὲ καὶ πολιτικῶν ἀνδρῶν καταφρονοῦσιν, ἀποδεικνύντων τὴν τοῦ θεοῦ σεμνότητα κτλ.* et de Is. et Osir. 369B *διὸ καὶ παμπάλαιος αὕτη κάτεισιν ἐκ θεολόγων καὶ νομοθετῶν εἴς τε ποιητὰς καὶ φιλοσόφους δόξα, τὴν ἀρχὴν ἀδέσποτον ἔχουσα, τὴν δὲ πίστιν ἰσχυρὰν καὶ δυσεξάλειπτον κτλ.*

Videtur igitur auctori huius modi hypomnema praesto fuisse, quo, cum in alia scripta sententias ex eo decerptas immisceret, in nostro sermone quasi forma quadam ita uteretur, ut et singulas de Amore sententias 756C—F atque 763E ei insereret, et 757C—759D[a] adderet, et in 759D[b]—763B[a] ea, quae de Amore deo ratione in I (p. 14) descripta elaborata haberet, ad potentiam utilitatemque inventas in illo hypomnemate demonstrandas accomodaret.

Ea quae 756C—D inserit de Amore, nescio an ipse invenerit.

756E—F *σύγκρασιν* coniungenda videntur cum 759F, Parmenidis et Hesiodi verba sumpta e Plat. Symp. 178B[1]), ubi rectius quam in Amatorio non Venerem una cum Amore labefactari, sed Amorem antiquom esse his versibus confirmatur.

[1]) Plato sane dicit *τὴν Γένεσιν* excogitasse Amorem. Plutarchus autem, cum sciret ipsum poetam non *Γένεσιν*, sed *δαίμονα* appellare illud numen, ut in suam rem verteret versum facile potuit hac re recedere a Platone, a quo illius et Hesiodei versus admonitus erat, Veneris nomine illi incerto numini indito.

757C—758C[a] multae illae argumentationis particulae, cum nullo alio vinculo conexae sint nisi quod omnes Amorem deum demonstrare student, ab ipso Plutarcho ad hanc dissertationem scribendam compositae videntur nescio unde sumptae.

758C[b] D Peripateticorum sapientiam spirant (cf. Laert. D. V 31: Winckelm., Heylbut. de Theophr. libr. π. φιλίας p. 8).

758E—759A[a], quantum equidem scio, non coniuncta reperiuntur apud Platonem, sed conserta sunt e Tim. 86E—87A[1]) et Phaedr. 244A—245A. 249D. 265A/B. Dubitari tamen potest, utrum sic coniuncta a Plutarcho demum sint an iam inventa in fonte aliquo; quarum opinionum prior ideo veri similior videatur, quod, cum 758F exstet τρίτη quanquam antecedit ὁ ἐνθουσιασμός vel τὸ μαντικόν, ipse Platonis locus affertur; sed quod non inveni, ubi apud Platonem verba fiant de ἀρειμανίῳ μανίᾳ, dubium est, utrum hic furor a Plutarcho ex eo quem in promptu haberet Aeschyli loco insertus, an iam in fonte Platonis de furoribus doctrina hoc modo in unum coacta et aliena re contaminata inventa sit, sicut Platonis de somniis doctrinam Plutarchus (82F sqq.) non a Platone ipso, sed immutatam a Zenone accepit (Siefert. p. 127).

759A[b]—D θύομεν possunt esse, 759F ἔτι — 760C[a] sunt e fragmentis laudationis.

De 760D—762A iam supra satis disseruimus.

In 762B—763B[a] argumenta 762E[b] ἐκεῖνο — 763B[a], ut cognovimus, non iam quadrant ad utilitatem ostendendam. Iam cum, supra ut 761E[b]—762A adiunctis a consilio suo decederet, auctorem eo adductum intellexerimus, quod Plat. Symp. 179 secutus esse videtur, ne hoc quidem loco sine causa tale quid suspicabimur. Atque videmus summam esse huius loci cum quaest. conv. 622C sqq. necessitudinem[2]). Ibi

[1]) V. infra Cap. IV p. 85.

[2]) Vel eadem ferri molliti similitudo et idem Philoxeni versus utroque loco affertur; alia multa invenies simillima.

quoque quoniam Sapphici carminis, quod nostro loco dissentit ab utilitate demonstranda, mentio fit, minime mihi veri dissimile est communem fuisse utriusque loci fontem vel hypomnema, in quo cum non Amoris utilitas declararetur, sed Amor vehemens affectus atque furor ad omnia audenda impellere demonstraretur, sine offensa verba fierent de Sapphus divino furore. Plutarchum autem, cum hanc materiam utilitati supponeret, in 762F—763A paulo incautius rem instituisse. Quae restant 762E *ἐκεῖνο* —F *χαῖρον* et 763B[a] aut ex eodem fonte atque 762B—E[a] et 762F—763A hausta sunt, aut illud fragmentum est laudationis Amoris puerilis, hoc e Menandri versibus enatum.

Quae disserit auctor 764B—D de Aegyptiorum sapientia quae spectat ad Venerem et lunam vel terram, exstant etiam in scripto Plutarcheo 'de Is. et Osir.' Amor cum sole quanquam in illo libro non comparatur, potest tamen hoc quoque ex eodem fonte notum fuisse Plutarcho; ipse autem hanc similitudinem 764B—D accuratius videtur argumentis confirmavisse. —

764E—765A *μυσταγωγός* cum disceptat quae intersint inter deum et solem, adhibet argumenta mutuata a Platone et tritissima Plutarcho; cf. e. g. de Pyth. orac. 400D *ὁ δ' ἥλιος ὁμοῦ τι πάντας ἀγνοεῖν τὸν Ἀπόλλωνα πεποίηκεν ἀποστρέφων τῇ αἰσθήσει τὴν διάνοιαν ἀπὸ τοῦ ὄντος ἐπὶ το φαινόμενον*, de def. or. 416D. 433D E; de E Delph. 393D E *ὡς δὲ νῦν ἐν τῷ καλλίστῳ τῶν ἐνυπνίων του θεου ὀνειροπολοῦντας ἐγείρωμεν καὶ παρακαλῶμεν ἀνωτέρω προάγειν καὶ θεάσασθαι τὸ ὕπαρ αὐτοῦ κτλ.* (et de sera n. v. 565B *ὅσῳ τὸ ὕπαρ ἂν εἴη τοῦ ὀνείρατος ἐναργέστερον*) cf. ad 764F; — et ad *ἀγωγὸς ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν* cf. de E Delph. 384F; sunt etiam alia similia apud Plutarchum, fortasse hausta ex uno atque eodem hypomnemate. — Deinde 765D *τὰ μὲν* — 766A ut sententiae enascantur ex poetae versibus, utitur partim eis quae de eadem re invenit in laudatione Amoris puerilis (765A—D), partim

ea de arcu caelesti scientia, quam similem in modum etiam aliis locis Plutarchus adhibuit, velut de Pyth. orac. 409 C/D *ὡς γὰρ οἱ παῖδες ἴριδας μᾶλλον καὶ ἅλως — ὁρῶντες γεγήθασι καὶ ἀγαπῶσι, καὶ οὗτοι τὰ αἰνίγματα καὶ τὰς ἀλληγορίας — ἀνακλάσεις οὔσας πρὸς τὸ θνητὸν καὶ φανταστικόν, ἐπιποθοῦσι κἂν τὴν αἰτίαν μὴ ἱκανῶς πύθωνται τῆς μεταβολῆς, ἀπίασι τοῦ θεοῦ καταγνόντες, οὐχ — αὑτῶν ὡς ἀδυνάτων ὄντων ἐξικνεῖσθαι τῶι λογισμῶι πρὸς τὴν τοῦ θεοῦ διάνοιαν*, et de Is. et Osir. 358F sq., de fac. in o. lun. 921A. 937B; cf. etiam de Pyth. or. 407E.

Omnibus his rebus ea, quae de fragmentis laudationum investigavimus, infirmantur nusquam, immo etiam comprobantur et stabiliuntur non nullis locis.

IV.

Hac fere materia adhibita quattuor auctor dissertationes, si tacemus nunc quidem de fabula, composuit. Nam cum alii, ut Volkmannus (II 168 sqq.) et Christius (Hist. Litt. Gr.[3] p. 665), tum Hirzelius (II 230. 233A. 1) existimaverunt ideo sermonem nostrum conscriptum esse, ut matrimonium et amor mulierum comparatus cum puerili laudibus efferrentur; neque tamen ego, etsi libenter tale quid vidissem diuque de hac re cogitavi, quicquam vidi; sed video quattuor disputationes, quarum prima confertur Amor nuptialis cum puerili satis festinanter, altera deliberatur, num impediendum sit, ne adulescentulus a vidua natu maiore et divite domum ducatur, tertia pater Amorem deum, quarta Amorem, et praecipue muliebrem, bonum et honestum esse demonstrare studet; neque habeo cur hanc vel illam ex hoc numero ceteris superiorem putem; immo ad suum quaeque spectat finem. Quanquam quarta cum prima eo conexa est, quod quae in prima utrimque disserta, neque tamen disceptata sunt, quasi fundamento sunt (766E—767C[a]) quartae et hac quodam modo diiudicantur

ita, ut omnia utrarumque partium communia esse dicantur: neque nego in quarta oratione auctorem, non modo propterea quod parum caute e laudatione Amoris muliebris hauserit, sed etiam consulto paucis locis, Amorem puerorum deteriorem esse nuptiali declarare. At monendum est neque fieri hoc nisi occulte obiterque atque adversus ea quae sibi proposuit pater verbis *ὥσπερ κοινοῦ συστάντος* (*αὐτοῖς ἀγῶνος*) — *μαχώμεθα*, et 752C D patrem diserte huius causae arbitrium recusavisse.

Neque igitur aliter atque in aliis quibusdam sermonibus Plutarcheis, velut 'de Pyth. orac.' et 'de facie in o. lun.', complures sunt consertae disputationes, quibus suum unicuique argumentum et finis est.[1])

Copulatae autem inter se non sunt nisi narratis rebus Thespiacis; quibus occasio datur singula argumenta tractandi. Unde iam sequitur, qua re inter se distent Amatorius ceterique sermones Plutarchei; nam in 'de Pyth. or.' et in 'conviv. sept. sap.' et aliis ea quae narrantur non ad ullam rem efficiendam, sed quasi fortuito atque temere fiunt, contra quaecumque in Amatorio fiunt ad unum eundemque finem pertinent. Itaque intellegere atque comprobare singulae disputationes, sicut in ceteris sermonibus, suam quaeque rem, exigere atque efficere omnes student eandem eam, ut Baccho et Ismenodora matrimonio iungantur

Iam tres res utrum prosint an obstent matrimonio, disceptatur; quae sunt Ismenodorae divitiae, aetas, amor. Hae iam initio enumerantur (749E), deinde de divitiis et aetate agitur disputatione altera; amor autem in hac leviter tantum perstringitur (752C, 753B, 753C), tum vero callido artificio cum interponatur Ismenodorae impetus (754E^{b} – 755E^{a}), animis ita obtruditur, ut tertia dissertione excusetur divina huius furoris natura praetenta, quarta utilis atque necessarius coniugio

[1]) Ne de amore quidem omnes agunt ita, ut sensim accuratius definiatur et Plato refutetur (Hirzel. II 233sq.), qua de re v. pp. 45sq.

demonstretur. — Itaque sola prima dissertatio non ad eundem atque ceterae finem spectare videatur, quoniam id, quod solum in hac disputatione ad tres illas pertinere res dici possit, cum quodam modo quaeratur, nonne vehemens amor Ismenodorae nociturus sit matrimonio, quarta demum accuratius tractatur. Qua de causa dubitemus, primane dissertio, ita ut fit in aliis dialogis, non coniuncta sit cum ceteris nisi tanquam fortuito, an haec quoque non modo suum habeat argumentum, sed praeterea eandem rem atque ceterae efficere studeat.

Atque videmus quartam quandam rem occulte obstare illi matrimonio, cum Pisiam, qui (749F. 754C) amans adulescentuli dicatur, summo studio id contendere consentaneum sit, ut sua ipsius causa Bacchonem matrimonio arceat: ita ut quarta disputatione qui resistant *ἀνέραστοι*, a patre, prima qui resistant *παιδεραστιαί*, a Daphnaeo repellendi sint. Hoc fuisse consilium auctoris, etiamsi non omni modo pro certo affirmem, mihi tamen veri simillimum est, cum praesertim, si hoc verum sit, facete Pisias et bis (752D. 752E), quantum sua hoc intersit, diserte dissimulans fingatur, neque ipse, sed per Protogenem suam causam agat.

Iam intellegimus quattuor has dissertationes non id solum studere, ut disceptent, uter Amor sit melior, et num uxoris divitiae et maior annorum numerus noceat coniugio, et num Amor deus sit, et num Amor utilis sit matrimonio, sed etiam id, ut comprobent Bacchonem domum ducendum esse ab Ismenodora. At comprobantne? Prima res utrimque tractatur, non diiudicatur; de altera etiam ipse pater loquitur, neque tamen ut iudex, sed ut advocatus; itemque res se habet in tertia et quarta parte sermonis. Neque igitur dubium nobis est, quid de quattuor illis rebus et eis, quae ad Amorem et matrimonium, et eis, quae ad Bacchonis et Ismenodorae matrimonium pertinent, pater sentiat; sed munere arbitri disertis verbis bis (752C. 753B) pater se abdicat, atque inde

ab 756 non iam omnino iudex, sed alterutrius partis est, ita ut et Hirzelius (II 231) perperam dicat in exitu dialogi Plutarchum summum arbitrum rem, quam putat unam esse, diiudicare neque nos sciremus, utris partibus nobis consentiendum sit, nisi hac de re certiores fieremus eis quae narrantur. Nam non solum Ismenodora et Bacchо matrimonio coniunguntur, Pisiasque cum ceteris reconciliatus est, sed deus ipse (771 E) laetus et benignus adesse cognoscitur. — Summum autem[1]) hoc est, quod totus dialogus ab Autobulo Plutarchi filio amicis traditur minimum viginti annorum spatio interiecto; apertum igitur est, cum animo reputamus et Ismenodoram et Plutarchi familiam fuisse in paucis illius aetatis nobilibus Boeotiis, bene notos esse et Autobulo et parti eorum, qui audiant vel legant, Ismenodoram et Bacchonem, neque dubitabimus, quin optime eis evenisse matrimonium inter illos constet; ita ut hac ipsa re merito atque iure patrem hoc coniugium suasisse eluceat.

Atque eae quoque quaestiones, quae pertinent non ad Ismenodorae coniugium, sed omnino ad Amorem et matrimonium, similem in modum diiudicantur, cum matrimonium et Amorem muliebrem et divitias et maiorem annorum numerum uxoris optimo iure pater defendisse cum Ismenodorae Bacchonisque exemplo demonstretur, tum etiam eis, qui non norint res Boeoticas, sed legant hunc sermonem, eo, quod ipse Plutarchus, qui dialogi temporibus ipse recens duxerit uxorem, multis annis post hunc sermonem conscripserit et Autobulum bonum filium natum ex illo matrimonio has res narrantem faciat et saepe eum, quae illis temporibus accidissent et illo sermone disserta essent, a patre quaesivisse et audivisse tradat, non paenituisse Plutarchum coniugii et tot annis post eandem cum de Amore muliebri et de matrimonio sententiam dicturum fuisse appareat.

Hunc igitur in modum omnes disputationes diiudicantur.

[1]) In hanc viam quaerendi vestigia mea Wilamowitzius duxit.

CAPVT ALTERVM.

Vindiciae.

I.

Refutatio.

I. Iam ex extrema primi capitis parte quarta apparet non sine consilio neque 'absurde' a Plutarcho rem ita institutam esse, ut sermonem et fabulam narraret neque ipse auctor neque alius quivis homo, sed suus filius. —

Cetera quae afferuntur argumenta ab Ernesto Graf (Comm. Ribbeck. p. 70) et Rudolpho Hirzel (Der Dialog II 233—236) ut abiudicetur a Plutarcho Amatorius, neque animum nisi in unum coacta terrent specie quadam gravitatis et singula ea sunt imbecillitate, ut ego quidem non perspiciam, quo modo fieri potuerit ut his confisi viri docti a Plutarcho sermonem compositum esse negarent.

II. Nam quod Hirzelius maxime offendit in Platone compluribus huius sermonis sententiis acriter impugnato, equidem et dubito num hoc, cum praesertim etiam aliis locis Plutarchus a Platone dissentiat[1]), tanti sit, ut hac de causa

[1]) Velut de cohib. ira capp. 8 et 9 exemplum suum secutum quamvis invitum eum adversus Platonem signa inferre Pohlenzius (Herm. 31 (1896) pp. 332 sq.) docuit. et de sera n. vind. 553F sq. exstat: — *Ἡσιόδου χρὴ νομίζειν ἀκροᾶσθαι, λέγοντος οὐχ ᾗ Πλάτων ἀκόλουθον εἶναι τιμωρίαν ἀδικίας πάθην, ἀλλ' ἡλικιῶτιν κτλ.*

dialogum a Plutarcho abiudicare liceat, neque, quoniam et nomen Platonis omittitur illis locis neque usquam eis quae Plutarchus dicit disertis verbis opponuntur quae Plato docet, hunc acriter a nostro auctore petitum esse concedo

At quaeramus, num omnino petatur.

Primum autem 749 A verbis *ἄφελε τοῦ λόγου τὸ νῦν ἔχον ἐποποιῶν τε † λειμῶνας καὶ σκιὰς καὶ ἅμα κιττοῦ τε καὶ σμιλάκων διαδρομὰς καὶ ὅσ' ἄλλα τοιούτων τόπων,* ⟨*ὧν*⟩ (Reisk.) *ἐπιλαβόμενοι γλίχονται τὸν Πλάτωνος Ἰλισσὸν καὶ τὸν ἄγνον ἐκεῖνον καὶ τὴν ἠρέμα προσάντη πόαν πεφυκυῖαν προθυμότερον ἢ κάλλιον ἐπιγράφεσθαι* Platonem ne leniter quidem carpi, immo etiam laudari, nisi quis argumenta colligere studet, negare non potest.

Deinde Hirzelio (p. 233), ut demonstraret ab auctore Amatorii furorem sive *μανίαν* ex amore submoveri aestu illo divino quem *ἐνθουσιασμόν* Graeci vocant substituto, non modo 765 B C (*σώφρονι λογισμῶι — οἷον ἀτεχνῶς πρὸς ἀφεῖλον τὸ μανικόν*), verum etiam locus 769 B (*ἀλλὰ πολλὰ φαῦλα καὶ μανικὰ τῶν γυναικείων ἐρώτων*) afferendus erat. At etiamsi haec agnosceremus, nihil his locis efficeretur, quoniam eos ex fonte haustos esse in capite primo cognovimus, qua re accidere solet, ut non modo a Platone, sed a se ipso Plutarchus dissentiat[1]). — Sed in hoc sermone ne dissentit quidem a Platone. Nam hunc in 758 E sqq. secutus amorem *μανίαν* (vel *ἐνθουσιασμόν*) vocat fuseque ostendit, neque postea vel 765 vel alibi perperam se 758/9 amorem *μανίαν*, non *ἐνθουσιασμόν*, fecisse disertis verbis dicit, neque ullo indicio commovemur, ut hunc dialogum ita compositum esse existimemus, ut quae in priore aliqua parte disputationis affirmata

---

[1]) cf. e. g. de coh. ira cap. 2 et 4: Pohlenz. Herm. 31 p. 322. — Dei inspirant oracula ipsi, de Pyth. or.; per daemones, de def. or.: Schmertosch. diss. Lips. 1889, de Plut. sentent. quae ad divinat. spectant origine, p. 27.

sint, posteriore vel negentur vel corrigantur[1]). Eo autem loco quo nititur Hirzelius (765 C), quia omnino non submovetur, ut Hirzelius dicit, *μανία* ex amore, sed in nascente amore inesse, deinde vero a verecundo amatore opprimi dicitur, id, quod intellegitur *τὸ μανικόν*, idem est quod Plato Phaedr. 251 etc. ita pingit, ut Plutarcho inter *τὸ πρῶτον* et *ὅθεν* (765 B) describendum, neque tamen hoc loco, sed 759 A—C descriptum esse (pp. 17. 29) cognovimus, et ipse 256 A sqq. eiciendum postea esse censet. Hoc *μανικόν* si velit Hirzelius esse claram illam *μανίαν* Platonicam, vereor ne ei etiam is libellus, qui quaerit animine an corporis affectiones sint peiores, cum *ἔρως* enumeretur inter vitia (501 B *θυμὸν δὲ πολλοὶ καλοῦσιν ἀνδρείαν καὶ ἔρωτα φιλίαν καὶ φθόνον ἅμιλλαν καὶ δειλίαν ἀσφάλειαν*) et is, qui agit de virtute morali, cum improbetur *ἐρωτομανία* (451 F *εἰ δ' οἱ τὸν ἔρωτα τῇ ἐρωτομανίᾳ συνεκβάλλοντες ἁμαρτάνουσιν, οὐδ' οἱ τὴν ἐπιθυμίαν διὰ τὴν φιλαργυρίαν ψέγοντες κατορθοῦσιν*), aliique, ne quid dicam de quaest. conviv. 746 F (*ταῖς δὲ περὶ συνουσίαν σπουδαῖς ἡ Ἐρατὼ παροῦσα μετὰ πειθοῦς λόγον ἐχούσης καὶ καιρὸν ἐξαιρεῖ καὶ κατασβέννυσι τὸ μανικὸν* (corr. Wyttenb. pro *μαλακόν*) *τῆς ἡδονῆς καὶ οἰστρῶδες, εἰς φιλίαν καὶ πίστιν, οὐχ ὕβριν οὐδ' ἀκολασίαν, τελευτώσης*), a Plutarcho abiudicandi sint, et idem e contrario Plutarchum amplecti. Platonem repudiare *τὴν μανίαν* dicere possit cum Plut. Amat. 758 E sqq. collato Platonis loco Legg. VIII 839 A (*ὁ — νόμος οὗτος — λύττης — ἐρωτικῆς καὶ μανίας καὶ μοιχειῶν πασῶν καὶ πωμάτων καὶ σιτίων εἴργεσθαι ποιεῖ τῶν ἀμέτρων πάντων*). Verum certum atque manifestum est illud, quod expellendum dicitur 765 C, *μανικόν* videri et Plutarcho et Platoni ferociam quandam et vehementiam affectus quamvis necessariam in amore nascente, attamen supprimendam ut verus amor conficiatur; ipsum

[1]) Hirzel. II 233: Dann aber schreitet sie (sc. censura Platonis) stärker aus indem sie etc.

autem amorem esse et Plutarcho et Platoni *μανίαν*; quam non esse discernendam ab illo furore, quem ut Plutarchus *ἐνθουσιασμόν*, ita Plato (Phaedr. 249 D E) *ἐνθουσίασιν* vocet et intellegat. Itaque non impetum facit in Platonem Plutarchus, sed plane eadem de amoris ortu indole interitu docet.

Tum non cum Hirzelio in eo offendimus, quod Amor dicitur deus, non, sicut a Platone, genius sive *δαίμων*. Neque enim auctor diserte hic quaerit, inter deos an inter genios habendus sit, neque interest quicquam hoc loco Plutarchi his aut illis Amorem adscribere; immo et Plato aliis locis *δαίμονα* appellat Amorem, velut Symp. 203 A, aliis minus accurate Amorem *θεόν* (e. g. Phaedr. 242 E), *ἐνθουσίασιν*, amatorem *φίλον ἔνθεον* cet., et Plutarchum saepius promiscue illis nominibus usum esse et consentaneum est et Hirzelius ipse (II p. 195 A. 2. in p. 196) dicit, velut in ipso Amatorio clamat 762 E: *ἐκεῖνο δὲ — πρὸς Χαρίτων οὐ δαιμόνιον*; Iam etiam si quis consulto in Amatorio Plutarchum Amorem non genium, sed deum vocare putet, hoc parvi intersit; ego autem ne credo quidem de industria hoc factum esse.

Denique quod amorem puerilem deteriorem esse matrimonio (Hirzel. II 234) ostendit, primum in capitis primi parte IV intelleximus non hunc esse finem disputationis quartae, sed exemplum secutum quasi occulte et temere et adversus suum consilium (767 C) fecisse hoc auctorem. At sane hanc esse eius sententiam subsentimus. Nego autem quam maxime hac re quicquam effici, quoniam non est inauditum aut mirum Plutarchum ut beatum coniugem hac re, quae non tam ad sapientiam quam ad vitam suam pertineat, decedere de sententia Platonis.

III. Deinde Gratium, qui 771 E pro *τὸν πατέρα εἰπεῖν* postularit talem rationem dicendi, qualis conveniret ad 771 D *ὁ πατὴρ ἔφη*, non satis refellit Hirzelius cum dicat (II 235 A. 2.) pro *ἑαυτὸν* substitutum esse *τὸν πατέρα* quo planius Diogenis verba excipere diceretur ipse pater; accuratius enim

ὁ πατὴρ ἔφη vel ὁ πατὴρ ἔφη εἰπεῖν scribendum erat auctori; re vera ergo hic suspicio quaedam nobis inicitur.

Iam vero auxilia arcessamus. Complures enim locos Amatorii tentaverunt propter hiatum, velut 749F iam Bernardakis delere voluit αὐτοῦ post ἀνεψιός, probavit Pohlenzius. — Habemus hiatum legitimum saepissime post articulum, particulam καί, coniunctiones μή, ἤ, praepositionem περί, bis post pronomen τί, 771 D fortasse[1]) post εἰ — undecim in omnibus scriptis Plutarcheis exempla novit Schellensius (de hiatu in Plut. mor., diss. Bonn. 1864, p. 13) —, saepe post interiectionem ὦ. Rarius hiat oratio in pausa (756A ἀπηλλαγμένος Πεισίου ἡδέως ἂν — ἀκούσαιμι), vel inter Plutarchea et aliena verba (758F βακχεύεται 'ἄχορον κτλ.: Schellens. p. 21), et ne inter membra quidem singulorum enuntiatorum saepe:

751 E Ἰσμηνοδώρα, ὡς ἔοικεν, αὐτὸν . . . (sic E)
754 C οὐδενὸς — πρεσβυτέρα, οὐδ' ἔχει . . .
756 A ἅπτεσθαι', εἶπεν, καὶ . . .
(771 D ἐρέσθαι, ⟨εἰ⟩ . . .)
748 F λόγους γενέσθαι, οὓς . . .
750 D ὥσπερ . . . καλεῖται, οὕτως ἔνεστι . . .[2])
765 E πρὸς τί γάρ', ἔφη, 'ἕτερον;'
761 E μέτεστι γυναικί, ἡ δ' ἐξ Ἔρωτος . . . .
762 C ἴστε γὰρ δήπου, ὡς . . .
750 B δοκῶ', εἶπεν, '"Ερωτι . . .
752 E. 757 C ὁρῶ', εἶπεν, '. . .

At, etiamsi auctorem excusamus de 760 C Θεοδώρωι Πρωτέου ἀδελφῶι et 762 C, ubi Wyttenbachius inserit τῶι, 'Ανύτωι Ἀνθεμίωνος, sicut excusavit Schellensius (p. 15) de 97 D ὁ μὲν Φίλιππον 'Αλέξανδρος et sim., et si tacemus de 766 D, ubi B solus exhibet εὐτελῆ ἀφιγμένος, E lacunam 6—8 litterarum, quanquam B solet plura legere quam E, et de 770 D, ubi

[1]) Neque tamen Wyttenbachii coniectura locus sanatus est: deest cum aliud, tum nomen Pisiae.

[2]) 756 C correctum est εὐθάρρει ⟨γάρ⟩, ὡς . . .

sensu pro *δόξηι ἀνθρώπων πάντων* nescio quid postulatur, et deleto, id quod mihi necesse esse videtur, illo *οἱ* post *καταχέκοπται* 762F, restant qui offensioni sunt hiatus

754E *ἐλθεῖν τῶι Πεισίαι ἑταῖρον.*

761B *πανοπλίαι ὁ ἐραστὴς ἐδωρεῖτο . . .*

755D *ἐπονόει ἐπὶ Βάκχωνος.*

765F *ὡς ἐν τῶι νέφει ὄντος*

762E *ψυχὴν . . . ἀγεννῆ ὁρῶντες.*

760E. 764B *ἔφη ὁ πατήρ.*

751B *γνώμονι τοῦ ἐρωτικοῦ ἀνδρός.*

759F *τῆς Γύγου ἀρχῆς ἀντάξιον.*[1]

771D *ἕνα τῶν Πεισίου ἑταίρων.*

749F *ὧν ὁ μὲν ἀνεψιὸς αὐτοῦ ἦν πρεσβύτερος.*

758F *ὅτωι θεῶι ἀνίεται . . .*;

i. e. duodecim loci nullo alio vitio laborant nisi hiatu. Qua de causa equidem dubito unum ex hoc tanto numero tentare, cum praesertim non omnes tam facile quam 749F corrigi posse malae illae Benseleri (de hiatu in script. Graec. pp. 503—506) coniecturae ostendant. Complures scriptor ipse facile mutare potuit, mutavisse non videtur.

Atque quanquam cetera quaecumque in capite primo investigavimus menda ideo in argumentationem et compositionem immissa existimo, quod auctoris ars atque sollertia defecisse videntur, facillime 764A Soclari verba ita commutare potuit, ut patris quae sequitur dissertio ad illa quadraret.

Neque Pemptidem, quamvis necesse sit ante 755E (*καὶ ὁ Πεμπτίδης ἐπιγελάσας — ἔφη*), ubi primum invenitur, mentio eius fiat, scio qui in 749B vel alibi iniungam.

His omnibus collatis librum neque satis expolitum neque ab ipso auctore editum[2]) esse mihi persuasi.

[1]) Correxit *Γύγου* ex *αὐτοῦ* Wilamowitzius, cum *αὐτοῦ* ita collocatum a Plutarcho alienum sit, et tyrannis Tantali non soleat laudari. Gyges ex Archilochi versu in proverbium abierit.

[2]) Similiter atque de fort. Rom. (E. Bruhnius, Genethliac. Gotting.

Ita id quoque accidisse mihi videtur, ut Plutarchus quod parum accurate scripserat τὸν πατέρα εἰπεῖν non corrigeret.

IV. Quod si ea, quae in extrema oratione (771), cum post Domitiani excessum ut Plutarchus uxorem duceret factum esse non possit, contra temporum rationem pugnant, pluribus verbis narrari dicunt (Graf. p. 70, Hirzel. II 234 sq.), quam ut dialogorum more[1] praetento defendi et ab ipso Plutarcho illarum rerum maxime gnaro scripta esse possint, hoc non argumentis, sed sua cuique sententia diiudicandum censeo neque ipse, cum non tota narratio, sed ea tantum, quae 771 C τῶν δ' υἱῶν — ἀποστραφῆναι quasi ἐκ παρέργου proferuntur, a temporum ratione abhorreant, gravius offendo in hoc quem dicunt anachronismo, quam in praeclaris quibusdam Platonicis aliisque. Ii autem, qui hoc in Amatorio inveniri molestius ferant, non ab ullo alio auctore sermonem conscriptum esse, sed Plutarchum, si retractasset, perpolisset, edidisset libellum, hoc quoque, sicut quae modo collegimus, mendum correcturum fuisse sibi persuadeant.

V. Neque oportuit Plutarchum (Hirzel. II p. 235 A. 3. in p. 236), quaecumque noverat de Amore ab Aegyptiis credito Sole, etiam in libro 'de Is. et Osir.' producere; praeterea in Amatorio quoque ludi gratia magis quam ad veram sapientiam demonstrandam Amor et Sol inter se comparari videntur: cur etiam in libro de Iside et Osiride conscripto luderet?

VI. Denique Hirzelius (p. 235) Plutarchum ita ut fiat 771 C Vespasianum gentemque Flaviam condemnaturum fuisse negat. Quod argumentum continuo corruit. Neque enim genti Flaviae, sed Vespasiano maledicit auctor, de quo quid

1888. p. 1—5), de cupid. divit. (Wilamowitz. GGA 1896 p. 330), maxime cum principibus etc. (Wilamowitz. Herm. 37 p. 326), alia scripta.

[1]) V. Hirzel. de dialogo, Indic. s. v. Anachronismen.

senserit nescimus[1]. Nam perperam Wyttenbachio[2] confisus Hirzelius de sera n. vind. 566 E (*βραχέα καὶ ἤκουσεν (τῆς Σιβύλλης) ὧν ἦν καὶ τὸ περὶ τὸ Βέσβιον ὄρος . . . . καί τι κομμάτιον περὶ τοῦ τότε ἡγεμόνος ὡς ἐσθλὸς ἐὼν νούσῳ τυραννίδα λείψει*) laudibus efferri a Plutarcho dicit Vespasianum; quem locum item ac de Pyth. or. 398 E (*ταυτὶ δὲ τὰ πρόσφατα καὶ νέα πάθη περί τε Κύμην καὶ Δικαιάρχειαν οὐχ ὑμνούμενα πάλαι — διὰ τῶν Σιβυλλείων ὁ χρόνος ὥσπερ ὀφείλων ἀποδέδωκεν, ἐκρήξεις πυρὸς ὀρείου — καὶ φθορὰς πόλεων ἅμα τοσούτων καὶ τηλικούτων, ὡς μεθ' ἡμέραν ἐπελθοῦσιν ἄγνοιαν εἶναι — ὅπου κατῴκηντο τῆς χώρας συγκεχυμένης*:) non ad minores quasdam illius regionis calamitates, sed ad notissimos illos anno 79 ruptos Vesuvii cavis fornacibus ignes pertinere et inter ceteros omnes et Wyttenbachio et mihi constat[3]. Praedicat igitur laudibus sive Sibylla sive Plutarchus non Vespasianum, sed Titum, delicias generis humani. — Dyroffius autem in annalium, qui inscribuntur (Bursiani) Jahresbericht über die Fortschritte der class. Altertumswissensch., vol. 108 (1901) p. 29 non cum Hirzelio citat 566 E, sed de soll. anim.

[1]) Nisi omnino illi imperatori, quippe qui Graeciam in servitutem remisisset, inimicum fuisse Plutarchum concludemus ex laude illa Neroni tributa 567 F sq. (*ἐν ταύταις φανῆναι τὴν Νέρωνος ψυχὴν . . . καὶ φωνὴν ἐκ τοῦ φωτὸς γενέσθαι προστάττουσαν εἰς ἄλλο γένος ἡμερώτερον μεταβαλεῖν — ὧν μὲν γὰρ ἠδίκησε δεδωκέναι δίκας· ὀφείλεσθαι δέ τι καὶ χρηστὸν αὐτῷ παρὰ θεῶν, ὅτι τῶν ὑπηκόων τὸ βέλτιστον καὶ θεοφιλέστατον γένος ἠλευθέρωσε, τὴν Ἑλλάδα*).

[2]) Animadv. ad 566 D.

[3]) Ut non Herculanei et Pompeiorum, sed Cumarum et Puteolorum oppidorum nomina produceret, potest Plutarchus errore adductus esse. Multo autem veri similius mihi est Plutarchum Graecis maluisse nobiliorum urbium prope Pompeios sitarum et olim Graecarum nomina indicare, et similem in modum atque 398 E scribendum esse 566 E, ubi traditur *τὸ περὶ τὸ Βέσβιον ὄρος καὶ τὴν Δικαιάρχειαν ὑπὸ πυρὸς φορᾷ γενησομένην* non cum Reiskio *καὶ τὴν Δικαιαρχείας ὑπὸ πυρὸς φθορὰν* (recte R.) *γενησομένην*, sed *ὧν ἦν καὶ τὸ περὶ τὸ Βέσβιον ὄρος καὶ τὴν ⟨περὶ⟩ Δικαιάρχειαν ὑπὸ πυρὸς φθορὰν γενησομένην*. V. nunc etiam Herrlich., Berl. phil. Woch. 1903 p. 1150.

974 A, quo in loco exstant haec: *καὶ προσήικαλλε* (sc. canis sollers atque eruditus arte tragica) *χαίρων καὶ φιλοφρονούμενος, ὥστε πάντας ἀνθρώπους καὶ Καίσαρα* (*παρῆν γὰρ ὁ γέρων Οὐεσπασιανὸς ἐν τῶι Μαρκέλλου θεάτρωι*) *συμπαθεῖς γενέσθαι.*

II.

Confirmatio.

Eis quae exposuimus cum omnia adversariorum argumenta repulsa esse mihi videantur, quanquam quin Plutarchus Amatorium conscripserit dubitare non iam cogimur, id tamen paucis assequi conabor, ut ne liceat quidem dubitare. —

Nam quanta sit rerum grammaticarum Amatorio et scriptis Plutarcheis cognatio, e. g. iam ex eis, quae Weissenbergerus (de sermone Plutarchi diss., Straubing. 1895) et Stegmannus (Qua ratione usus sit Plut. in negationibus adhibendis, Progr. Geestemund. 1882) his de rebus disseruerunt, facile perspicies; quibus addam non coniungi inter se nomina repudiatis illis plerumque a Plutarcho coniunctionibus *τε καί* continuatis (v. C. Fuhr. M. Rhen. 33) nisi bis: 749 A *καὶ ἅμα κιττοῦ τε καὶ σμιλάκων διαδρομάς*, et 761 D *ὅρκους τε καὶ πίστεις*, et eadem ratione totam sententiam negandi, qua in aliis scriptis satis saepe, in nostro quoque dialogo uti Plutarchum 766 E et 766 F sq.[1])

[1]) Spectant haec ad 766 E *οὐ δυνατὸν μὲν ἀπὸ παίδων ἀδύνατον δ' ἀπὸ γυναικῶν*, ubi varia temptaverunt, velut Bernardakis exprimit interrogationem (*οὐ . . . . γυναικῶν;*) Basilius Leonardus mutat: *οὐ δυνατὸν μὲν ἀπὸ παίδων, δυνατὸν δ' ἀπὸ γυναικῶν*; Pohlenzius hoc probat; quo de loco agendum est coniuncte cum 766 F sq.: *οὐ γὰρ ὁ μὲν φιλήδονος — ἔδοξεν οἰκείως ἀποκρίνασθαι τῆς ἐπιθυμίας* (an *οἰκείως — ταῖς ἐπιθυμίαις?*) *ὁ δὲ φιλόκαλος — οὐ πρὸς τὸ καλὸν — ἀλλὰ μορίων διαφορὰς ποιεῖται τοὺς ἔρωτας*, ubi Nauckius (FTG² Adesp. 355) scribit *οἱ — τῆς ἐπιθυμίας*; quare etiam in fine eum scripisse — *τοὺς ἔρωτας*; veri simile est.

In utroque loco habemus *οὐ*, deinde sententiam duplicem particulis *μὲν — δὲ* coniunctam. Quae ratio dicendi non raro invenitur apud Plutarchum, et compluribus e locis apparet non interrogari eius modi

Atque hiatus, quos in ceteris libellis ad finem perpolitis aversatus sit, etsi duodecim in Amatorium admiserit (v. p. 49), tamen quin locos correcturus fuerit, si ipse edidisset libellum, atque quin in hoc quoque sermone orationem hiantem vitare studuerit, non dubitabit quicumque intelleget, quantulus sit pro hoc tanto libro numerus hiatuum, vel locos inspiciet quales sunt 749D *καὶ τρόπον τινὰ δι' εὔνοιαν ἀμφότεροι τὴν ἐκείνου διαφερόμενοι*, 753E *κελεύσαντος πάντας ὑπηρετεῖν ὥσπερ αὐτῶι καὶ πείθεσθαι*, 771B *φάρμακον, ὧι τὴν κόμην αἱ γυναῖκες ἐναλειφόμεναι ποιοῦσι χρυσοειδῆ καὶ πυρράν*; 754B *ἀνδρὶ δὲ πλουσίας — οὐ προσήκει μηδὲ τὴν γυναῖκα ποιεῖν ἄμορφον*; 750D *ἡ δ' ὑπερβολὴ πάθος ἐνεργασαμένη λαιμαργία τις ἢ φιλοψία καλεῖται*; multi. —

Verba porro vel eadem adhibita sunt pauca in Amatorio, quibus solus Plutarchus usus videtur esse — 748F

---

sententiis, sed negationem complecti totam sententiam bipertitam, ita ut fiat oratio: non ita res se habet, ut hoc sit, illud autem (non) sit. — Hoc etiam in aliis scriptoribus saepius per saecula in oblivionem iit: v. Toupium et Weiskium ad Ps.-Longin. *περὶ ὕψους* 39,2 (= edit. Weisk. p. 443), qui conferunt Dionys. Halic. ant. Rom. X 28, Xen. mem. I 4,17, Plut. de audit. p. 42B; Vahlen., Ind. lect. Berol. 1880/81 p. 5.

Plutarcho hoc usitatum est: de sera n. v. 549F sq., de tuenda san. 133A, de tranqu. an. 469F. 477B. quaest. conviv. 620F, de fac. lun. 927D. ne suaviter quidem etc. 1090D. adv. Colot. 1118A. Eodem modo atque 766E altera pars bipertitae illius ad quam *οὐ* pertinet sententiae ipsa quoque negativa est:

de def. or. 426A B *οὐ γὰρ ἐνταῦθα μὲν ἐν συνίσταται σῶμα πολλάκις ἐκ διεστώτων σωμάτων —· ἐν δὲ τῶι παντὶ δέκα κόσμους — ὄντας ἑνὶ χρῆσθαι λόγωι — ἀδύνατόν ἐστιν.* de sera n. v. 556C D *οὐ γὰρ δήπου παρακαταθήκην μὲν ἀποδοὺς — ὁ φαῦλος εὐθύς ἐστιν ἐν μεταμελείαι —· οἱ δὲ καταθύοντες ἀνθρώπους ἐπὶ τυραννίσι — οὐ μετενόουν.* quaest. conviv. 616B bis. — 1090D.

Neque igitur dubium est, quin 766E nil sit mutandum, sed scribendum *οὐ δυνατὸν μὲν ἀπὸ παίδων, ἀδύνατον δ' ἀπὸ γυναικῶν.*

et 766F sq. *οὐ γὰρ ὁ μὲν φιλήδονος — ἔδοξεν οἰκείως ἀποκρίνασθαι —, ὁ δὲ φιλόκαλος — πρὸς — μορίων διαφορὰς ποιεῖται τοὺς ἔρωτας· καὶ φίλιππος μὲν ἀνὴρ — ἀσπάζεται — καὶ θηρατικὸς — χαίρει —, ὁ δὲ φιλόκαλος — οὐχ ὁμαλός ἐστιν . . . . ἀνδρῶν.*

καταμνημονεύειν pro *ἀπομν.*, 758 D *δυσιερεῖν*; 750 C *κατευλογεῖν* apud Plut. et Septuaginta; et *ὡς ἔοικε* rarissime in aliis scriptoribus, saepissime apud Plutarchum intellegendum esse 'ut fertur' (754 E. 759 F) monet ad 548 B Wyttenbachius — vel similem in modum coniuncta, id quod accidere solet in scriptis Plutarcheis, saepius apud Plutarchum inveniuntur: quae magna e parte iam Winckelmannus singulis locis commemoravit:

749 F *ἄθικτος — καὶ νεαρός*: 963 C *νεαρὰ καὶ ἄθικτα.*

750 D *σφοδρότητι καὶ ῥώμηι*: 441 D *σφοδρότητα καὶ ῥώμην.*

751 C *πρόσλαβε δὲ . . .*: 404 E *πρόσλαβε δὲ . . .*

752 B *θεραπεύειν — καὶ περιέπειν*: Pyrrh. 19 p. 395 *περιέπων καὶ θεραπεύων.*

752 E *ἐλαφρᾶι καὶ λιτῆι*: 940 D *ἐλαφρὰ καὶ λιτά.*

753 A *ἐκεῖνο δ' οὐ λέγεις*: 158 F. 401 E.

753 B *κοσμίως — καθήσθω*: 477 D, E *καθήμεθα κοσμίως.*

755 B *ἦν δὲ λόγος οὐδεὶς τῶν ἀγωνιζομένων*: Tit. 10 p. 374 *οὐδεὶς δὲ λόγος ἦν τῶν ἀγωνιζομένων.*

756 A *τοῦ δὲ πολυπραγμονεῖν οὐκ ἐῶντος*: Alexandr. 39 p. 688 *οὐκ εἴα δὲ πολυπραγμονεῖν.*

756 D *ἐπάγων πεῖραν*: C. Gracch. 8 p. 838 *πεῖραν ἐπῆγε.*

756 E *ἄζηλον — καὶ ἄτιμον*: Lycurg. 24 p. 54 *ἄζηλον — καὶ ἄτιμον.*

758 B *οὐ — θεὸς ἀποστατεῖ*: Pericl. 13 p. 160 *τὴν θεὸν οὐκ ἀποστατοῦσαν.*

758 E *τοῦ λογιζομένου καὶ φρονοῦντος*: 61 E, 442 A. C etc.: v. Bernard. Plut. mor. vol. 1 praef. p. LIX.

759 A *ἢ γὰρ οὐχ ὁρᾶις*: 405 A *ἢ γὰρ οὐχ ὁρᾶις*, 621 C *ἢ γὰρ οὐχ ὁρᾶτε.*

759 B *πραΰνουσι καὶ καταπαύουσιν*: Philopoem. 16 p. 365 *πραΰνειν καὶ καταπαύειν.*

759 E *ὥρα σκοπεῖν*: 1109 E *ὥρα δὴ σκοπεῖν.*

761 E *εἰ δέ πού τι καὶ μύθων πρὸς πίστιν ὄφελος*: cf. sim. 671 B *εἰ δὲ δεῖ καὶ τὰ μυθικὰ προσλαβεῖν.*

762 A *θείαι τινὶ τύχηι*: Thes. 36 p. 17 *θείαι τινὶ τύχηι.*

762 F *τὸ θράσος ἐκκέκλασται* (cf. 767 F): Fab. Max. 11 p. 180 *τὸ θράσος κατακέκλαστο.*

762 F *τὸ τῆς ψυχῆς γαῦρον*: 128 E *τῆς ψυχῆς τὸ γαῦρον*, Arat. 23 p. 1037 *τῆς ψυχῆς τὸ γαυρούμενον.*

764 B *δεομένων δὲ καὶ τῶν ἄλλων*: 561 B *τὰ δ' αὐτὰ καὶ τῶν ἄλλων δεομένων*; cf. 431 D E *ταῦτα δὴ καὶ τῶν ἄλλων συμπαρακαλούντων*, 1108 B *ταῦτα δὴ καὶ τῶν ἄλλων παρακελευομένων.*

764 C *μετ' ὀργῆς καὶ ζηλοτυπίας ἐρωμένου διαλλαγέντος*: 61 A *ἐξ ὀργῆς καὶ ζηλοτυπίας*, Dion. 16 p. 964 *δυσέρωτες ὑπὸ ζηλοτυπίας, καὶ πολλὰς μὲν ὀργὰς — πολλὰς δὲ διαλλαγὰς — ποιουμένου πρὸς αὐτόν.*

764 F *ἀγωγὸς ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν*: 384 F.
765 B *καπνοῦ καὶ ταραχῆς ἐνέπλησαν ἑαυτούς*: 453 F *πάντα ταραχῆς καὶ καπνοῦ — μεστὰ ποιεῖ*
765 C *μετὰ θερμότητος — κινούσης — διάχυσιν — καὶ πόρους ἀνοίγουσαν*: 432 E *θερμότητι γὰρ καὶ διαχύσει πόρους τινὰς ἀνοίγειν.*
765 C *συγγίγνονται διὰ λόγων πολλά*: cf. 686 D *συνεῖναι διὰ λόγων ἀλλήλοις.*
765 F *μηχάνημα καὶ σόφισμα*: 692 D *σόφισμα — καὶ μηχάνημα.*

— Quod autem eadem res duobus vocabulis sive synonymis sive quasi synonymis significatur plurimis Amatorii locis,

velut 749 B *ἐκ τῆς — διαφορᾶς καὶ στάσεως*, 751 F *μετὰ τὰς ἀποδύσεις καὶ ἀπογυμνώσεις τῶν νέων*, 752 B *ἄκαρπον αὐτοῦ καὶ ἀτελὲς τὸ ταρακτικόν ἐστι καὶ πλήσμιον καὶ ἀψίκορον*, 752 C *μεθιστάναι καὶ μετοικίζειν*, 764 A *βίαι σαυτὸν ἀπάγεις καὶ ἀποστρέφεις*,

omnino hoc fieri ex more Plutarchi quolibet scripto Plutarcheo docemur. Totaque elocutio quam similis sit Plutarchi, apertum est cuilibet spectanti; certas autem leges, quanquam materiam collegi, nondum perspexi.

Deinde, ut singulas quasdam res adiungam, poetarum sapientiumve dicta, etiamsi diverso sint argumento, in suam rem convertit auctor alio sive nomine sive verbo substituto e. g. et 755 D E *Ἔρωτι δὲ μάχεσθαι χαλεπόν, οὐ θυμῶι καθ' Ἡράκλειτον*, 759 C *καὶ οὐχ, ὥς τις εἶπεν, αἱ ποιητικαὶ φαντασίαι διὰ τὴν ἐνάργειαν ἐγρηγορότων ἐνύπνιά εἰσιν, ἀλλὰ μᾶλλον αἱ τῶν ἐρώντων*

et 392 C *οὐ γὰρ μόνον, ὡς Ἡράκλειτος ἔλεγε, πυρὸς θάνατος ἀέρι — — — γένεσις, ἀλλ' ἔτι σαφέστερον ἐπ' αὐτῶν ἡμῶν*, 431 A *πολλαῖς γὰρ οἱ θεοὶ μορφαῖς οὐ σοφισμάτων, ὡς Εὐριπίδης φησίν, ἀλλὰ πραγμάτων σφάλλουσιν ἡμᾶς*, 453 F *ὁ δὲ θυμὸς οὐχ ἧι φησιν ὁ Μελάνθιος τὰ δεινὰ πράσσει τὰς φρένας μετοικίσας, ἀλλ' ἐξοικίσας τελείως καὶ ἀποκλείσας*, al.; —

atque eodem modo atque 750 F — *δεῖ καλεῖν* — — *θῆλυν καὶ νόθον* —, *μᾶλλον δ' ὥσπερ ἀετόν τινα λέγουσι κτλ.* transitum facit 455 C D *ἵνα μὴ πέσωμεν, μᾶλλον δ' ἐπιπέσωμεν· ἐπιπίπτομεν δὲ* . . . (Pohlenz. Herm. 31 p. 322 A. 2.), 502 C *ἐναντλῶν . . . μᾶλλον δὲ περιαντλῶν* . . . ., 473 E *οἷαν — ἐμπλέ-*

κωνται ταῖς τῶν ἀηδῶν ἀναμνήσεσι · μᾶλλον δὲ ὥσπερ ἐν Ὀλύνθωι . ., 80 A *οἷον ἀπόδειξιν αὐτοῖς τῶν δογμάτων διδόντες, μᾶλλον δὲ τῶι χρῆσθαι ποιοῦντες τὰ δόγματα. ὡς τούς γε μανθάνοντας — — οὐ μᾶλλον οἴεσθαι χρὴ φιλοσοφεῖν ἢ τοὺς τὰ φάρμακα πωλοῦντας ἰατρεύειν · μᾶλλον δ' ὅλως οὐδὲν ὁ τοιοῦτος σοφιστὴς διαφέρει* . . ., 1123 C, al.; —

et ad 759 A/B *ἢ γὰρ οὐχ ὁρᾶις, ὡς ὁ μὲν στρατιώτης — πέπαυται τῆς πολεμικῆς μανίας* . . . ., *ταυτὶ δὲ τὰ βακχικὰ — τὸ μέλος ἐκ Φρυγίου πραΰνουσι* . . ., *ὡς δ' αὔτως ἡ Πυθία — ἐν γαλήνηι — διατελεῖ; τὴν δ' ἐρωτικὴν μανίαν — οὐ μοῦσά τις κτλ.*

cf. 165 E *οἱ δοῦλοι τῶν δεσποτῶν ἐπιλανθάνονται καθεύδοντες, τοῖς πεδήταις ἐπελαφρύνει τὸν δεσμὸν ὁ ὕπνος, φλεγμοναὶ περὶ τραύματα — κοιμωμένων ἀφίστανται · ὦ φίλον ὕπνου θέλγητρον — —. τοῦτ' οὐ δίδωσιν εἰπεῖν ἡ δεισιδαιμονία*, et 523 E *ἀλλὰ ποτῶι μὲν ἔσβεσαν τὴν ποτοῦ ὄρεξιν καὶ τροφῆι τὴν τροφῆς ἐπιθυμίαν ἠκέσαντο · κἀκεῖνος . . . . πλειόνων ἐπιφερομένων δυσανασχετεῖ καὶ διωθεῖται · φιλαργυρίαν δ' οὐ σβέννυσιν ἀργύριον.*

Neque hypomnematis, velut theologico illo 756/7 et 763 B—E, vel 762, neque verbis poetarum, velut duobus Aeschyleis, quattuor Sophocleis, sex Euripideis, atque sapientium, velut Heracliti, Metrodori, neque aliis, quascumque in capitis primi parte II et III partim ostendimus partim leviter perstrinximus, rebus tot eisdem quae in ceteris scriptis Plutarcheis vel semel vel saepius inveniuntur dialogi auctorem usurum fuisse persuadere mihi possum, nisi ipse esset Plutarchus.

Inventas autem sive in fontibus sive in hypomnematis res adhibendi, immutandi, corrigendi, aliter inter se coniungendi, cum aliis commiscendi ratio eadem est, qua in nonnullis quidem libellis Plutarchus usus est (Siefert. diss. pp. 56 sqq.). Nam ut in Amatorio duarum laudationum partes aliae ea, qua erant in fonte, exstant sententia, velut 750—752, aliae ad rem longe diversam demonstrandam adhibentur, velut 766 E—770, aliae ut argumenta vel ornamenta dispersae sunt

in partes libelli aliunde sumptas, velut 759F sqq., 760E—761E, ita in ea dissertatione, quae agit de cohibenda ira, Plutarchum priore exempli parte (capp. 5 10) ad diversam rem demonstrandam usum esse, et suas sententias (cap. 4) et aliunde sumptas (cap. 15) in exemplum illud inseruisse Pohlenzius (Herm. 31 p. 321 -331), in ea, quae suadet tranquillitatem animi, in maiorem quandam ex fonte haustam argumentationem aliena (velut capp. 10—13) iniuncta esse Siefertius (de aliquot Plut. script. mor., Lips. 1896) ostenderunt. — Ea autem, quae aliis iam causis demonstrantur non e fonte hausta, sed ab ipso Plutarcho elaborata, saepe eo quoque ab ceteris libelli partibus differunt, quod secundum morem Plutarcheum (Wilamowitz. GGA 1896 p. 331) non tam ipsa argumentatio progreditur, quam poetarum versus, sapientium dicta, similia collecta et conserta sunt, e quibus emanant singulae sententiae, quare ut de cup. div. 5, de coh. ira 4, de tranqu. an. 6b, an vitios. suffic. ad infelic. 3 (v. Siefert. pp. 115 sq.), alia, ita Amat. 756E—F, 757C—758C Plutarchum spirant. — Exemplorum porro vel dictorum sertis inventis in fontibus cum ita saepe sententias redimiat Plutarchus, ut partim enarret, partim, etiamsi minus nota sint quam ut tam breviter attingere liceat, nominibus tantum significet, talium locorum quales sunt de coh. ira 457E—458C, ubi male Stegmannus deleri iussit *καὶ Πεισιστράτου — Μουκίου* (457F), de superst. 170A/B, quam maxime me admonent Amat. 753 D—F et 760E -761E.

Itaque in arte grammatica, elocutione, inventione, argumentatione quin ipsius Plutarchi vestigia appareant, haud videtur dubium.

Exstructus autem quam-simili ceterorum sermonum Plutarcheorum arte Amatorius sit, Hirzelius, quamvis non omnia recte disserat, ipse II 231 indicat.

Restat igitur, ut de re quadam maximi momenti novo capite quaestionem instituamus.

CAPVT TERTIVM.

Ethopoeia.

Plane enim controversiam disceptabimus, si quales personas quo modo scriptor pinxerit perspiciemus, qua in re praeter ceteras ipsius artem, non aliena exempla, investigaturos nos esse appareat.

In quaestionem vocavi praeter Amatorium dialogos hos: de E apud Delphos = *de E*, de Pythiae oraculis = *Pyth*, de defectu oraculorum = *def*, de sera numinis vindicta = *num*, de facie in orbe lunae = *fac*, adversus Coloten = *Col*, ne suaviter quidem posse vivi secundum Epicurum = *suav*, de sollertia animalium = *soll*, de communibus notitiis = *not*, de tuenda sanitate = *san*, quaestiones convivales = *qu*.

Iam quoniam non in omnibus his dialogis ut in Amatorio homines non modo locuntur, verum agunt quoque atque conficiunt aliquid, primum ita rem instituam, ut non inter se conferam nisi eos sermones vel eas partes sermonum, quae inprimis constant ex orationibus. — Atque initio velim mihi permittatur, ut ne minimam quidem rem, quamvis paulum ad mores describendos conferre videatur, praeteream, quo tutius postea, cum quas res scire intersit perspexerimus, omnes minutias sine dubitatione omittamus.

I.

De principibus et satellitibus.

A. Seligo autem qui principatum obtinent in sermonibus *num* et *Pyth* Plutarchum et Theonem, quos comparem cum patre qualis depingitur inde ab 756[1]).

1. Simillimis auctor artificiis penes hos viros esse honorem et dialogi principatum significat. Nam a) et ceteri qui adsunt eos ita suspiciunt, ut consulant ut sapientes, neque, quanti sua quae illi profiteantur comperire intersit, sine urbanitate quadam indicent:

> *Am* 757 E. 764 A B Soclari hortatio et *δεομένων δὲ καὶ τῶν ἄλλων.* 760 E *οὐχ ἡμεῖς γοῦν, ἀλλ' ἡδέως ἂν πυθοίμεθα.*
>
> *num* Patrocleae, Olympichi, Timonis verba 548—549 E. 561 B *μηδαμῶς — ἀλλὰ δίελθε κἀκεῖνον. τὰ δ' αὐτὰ καὶ τῶν ἄλλων δεομένων.* 553 E *μὰ Δί', ἀλλὰ δέομαι μαθεῖν,*
>
> *Pyth* Diogeniani interrogatio 395 D. 397 D, Serapionis 401 B. 395 F *ἀλλὰ βούλομαι.* 396 A *ὡς οὖν ἐκελεύομεν καὶ συνεχωροῦμεν.*

neque unquam quae illi dicant improbent, praeterquam quod semel obsistunt Pemptides (757 C), Timo (556 E sqq. - 557 F), Diogenianus (396 B),

immo saepius diserte assentiantur:

> *Am* 757 E. 758 C.D, *num* 552 E. 561 E, *Pyth* 396 B,

atque audiendo se gaudere declarent:

> *Am* 762 D, *num* 563 B: —

b) et ipsi praesides sermonis rerum peritissimos, ceterorum quasi magistros vel patronos se praebent. — Non enim nominatim admoniti, sed quasi aliter res geri non possit, *p*(ater) et *T*(heo) ipsi consulentibus responsa dant (*Am* 756 A, *Pyth* 395 C. 397 B), *P*(lutarchus) qua de re dubitent interrogat ipse disceptaturus (*num* 548 C), disseruntque ceteris pauca ad disputationem conferentibus.

[1]) Qua de causa hanc partem seiungam ab eis quae antecedunt, postea elucebit.

Quae docturi sint, non diu secum deliberant, sed statim ex initio usque ad finem in eadem constant sententia, rogatique sine ulla dubitatione pronuntiant (*p* 764B, *P* 561B, *T* 401B), eis quae obiciuntur a ceteris neque turbati unquam[1]) neque ab opinione sua deducti (*p* 757C, *P* 557F[2]). 560B, *T* 396B); immo inrisu quodam adversarii et argumenti quadam contemptione utuntur in respondendo *p* 757C et *P* 557F.

In singulis quoque rebus simillime eos qui adsunt tractant;

benigne enim et saepe appellant:

e. g. *Am* 757E *ὦ φίλε Δαφναῖε*. 769E *ὦ μακάριε Ζεύξιππε*, ***num*** 558B *ὦ τᾶν*. *Pyth* 405A *ὦ φίλε Διογενιανέ*,

ipsos quoque se rei imperitos sciscitari (quo in genere antecellunt *P* 558D, *T* 395E; contra 759E ***σκοπῶμεν***, 551C cet. non sunt nisi figurae orationis)

atque prave rem instituere facete simulant:

P 561E. *T* 405D. 408D;

urbani, quae ipsi docturi sint, illis iam nota se putare praedicant:

Am 760E *ἴστε δήπουθεν*. 762C *ἴστε γὰρ δήπου*. 767F *ἴστε δήπουθεν ἀκοῇ*. 768B *ἀφθονίας δὲ παραδειγμάτων οὔσης πρός γ' ὑμᾶς — θιασώτας*,

num 553D *οἶσθα δήπουθεν*,

Pyth (395D) 403C *ἴστε τοίνυν*. 404E *οἶμαι δέ σε γιγνώσκειν*. 408A *ἴστε γάρ*. 408B *ἄλλα δὲ τοιαῦτα — — διεξιέναι πρὸς ὑμᾶς εἰδότας οὐκ ἀναγκαῖόν ἐστι*,

quid illi de argumento sentiant quaerunt:

Am 757E. 758C.D, ***num*** 552E. 561E, ***Pyth*** 395E,

desideria respiciunt:

εἰ βούλει num 557F. 560C, *Pyth* 395E.F,

ut illi quoque disputationis fiant participes curant:

---

[1]) Plutarchus cum 557E veretur, *μὴ πάλιν — ἐπαγάγῃ πλείονας καὶ μείζονας ἀτοπίας*, non sibi, sed Timonis dignitati timet.

[2]) Ubi ut sententia fiat, pro *ΟΜΩΣ δ' εἰς παραμυθίαν ἀφελεῖν το πλῆθος* videtur *ΦΙΛΟΥΣΙ δ' εἰς π. κτλ* scribendum.

p 763 A (*P* 548 C), *T* 395 E, —

facetiis perstringunt:

p 763 A Daphnaeum, *T* 397 B Serapionem, 397 C Boethum,

non vacant ab ironia:

p 757 E, *P* 560 B, *T* 397 C. 405 F.

Commemorandum autem est etiam singulare quoddam artificium. Nam *T* vehementer in Epicureos ceterosque adversarios invehitur (407 F. 408 D sq. 409 C) quanquam adest Boethus; *p* autem et *P* quamvis acriter sententiam adversariam oppugnent (*Am* 767 C D, *num* 558 C D), amice appellant Zeuxippum et Timonem; quod ut facere possent, eodem in utroque dialogo artificio usus auctor non suam opinionem pronuntiantes induxit Zeuxippum et Timonem, sed et ille aliorum virorum sententias tradit (v. 767 C) et hic ipse defenditur ab illis, quorum auctoritate usus est, *ἄγαν πικροῖς καὶ κατηγορικοῖς* (558 D); Pemptidem, qui suam dixerit sententiam, lenius *p* refutat.

2. Deinde quod attinet ad affectus et habitum, *p* 756—763 F pietate et studio persuadendi commotus non sine vehementia quadam tanquam tutor Pemptidis et patronus numinis divini locutus quasi in hymnum (763 F) desinit: altera parte (inde ab 764 B) magis docet ceteros, quanquam hic quoque certandi cupidum se praebet (767 C). *P* quoque adhortatur et ad suam sententiam traducere studet Timonem commotiore animo (e. g. 557 F. 558 C[a]. 558 D[b]), magis tamen per totas orationes, sicut *p* inde ab 764 B, illos docet: hymni illius (763 F) admonent nos 556 B C et quae exstat in fine fabella. *T* autem primum una cum Diogeniano tanquam amicus superioris aetatis ipse sciscitatur, deinde Serapionem et Boethum irridet et rem facetiis tractat, tum vero ceteros docet ut *p* inde ab 764 B et *P*, non agitatus nisi 409 A et 407 F. 408 E sq. 409 C.

Praeterea eadem modestia apparet *Am* 764 E *εἰ δὲ μὴ δόξειε πικρότερον λέγεσθαι* et *num* 556 D *εἰ θέμις — εἰπεῖν*.

3. Differentiae in his rebus scenicis, si spectamus eas tantum sermonum partes quae orationes continent, inveniuntur paucae:

pater enim semel iuniorem se praebet *Plutarcho* et *Theone* *ἀνακραγών* 757 C;

de *Plutarcho* dicuntur quae desunt *patri* et *Theoni*:

549 E *κἀμοῖ πρὸς αὐτὸν ὄντος*. 557 E *δείσας — μὴ — ἐπαγάγῃ — μείζονας ἀτοπίας*. 560E ipsum se perperam interrogasse concedit, non Patrocleam rei ignarum esse;

Theo 395 F laudat Diogenianum. 407 F invehitur in Epicureos praesente Boetho. 397 C sq. de argumento agit facetiis.

Minimi ergo momenti res unicuique sunt propriae, et quales ceteris quoque facile, si voluisset auctor, tribui potuerunt.

Quae autem inveniuntur verae differentiae inter *p*, *P*, *T*, pertinent non ad artem scenicam, sed ad sententias et argumenta, velut *p* Amorem et matrimonium tuetur, deos veneratur, Platonem Sapphoque maxime admiratur, probum se praestat; *P* verecunde de numinibus inquirit (549 E), terret animos pictis tormentis malae conscientiae (556), somnia vera esse credit (555 B/C. 561 B); *T* scientia rerum naturalium, philosophicarum, Delphicarum utitur, Apollinem suum deum defendit, Delphorum oraculo deditus (409) etc.: nam quales in initiis sermonum describantur, hic neglegimus. —

Minutissimis autem omnibus rebus collatis id certe perspeximus in his partibus horum dialogorum, quod pertinet ad artem scenicam, non depingi *patrem* vel *Plutarchum* vel *Theonem*, non homines, sed unam atque eandem figuram principis dialogi.

B. Ceterae personae non eadem inter se aequalitate sunt qua principes. At cum eis, quae intra 756—771C legimus de Zeuxippo, Daphnaeo, Soclaro, collatis ad ceteras sermonum *num* et *Pyth* personas

similiter delectari se audiendo profiteri Zeuxippum 762 D, Olympichum 563 B, Diogenianum 402 B;

similiter principis sententiam sine dubitatione comprobari Daphnaeo 757 E. Zeuxippo 758 C. D, Patrocleae 552 E;

similiter animi intentionem et studium apparere in Daphnaeo 765 E. Soclaro 764 A, Olympicho 560 A/B; similiter interrogare Pemptidem 756 A, Serapionem 401 B (Timonem 549 E)

videmus, in his quoque figuram quandam, cui satellitis vel comitis dare possumus nomen, investigamus.

Has figuras apertum est non in omnibus sermonibus Plutarcheis inveniri posse, cum in aliis, velut *fac* et *def*, complures personae aliquid ad quaestionem solvendam conferant, in aliis, velut *Col*, paucis praemissis non loquatur nisi unus. Sed in his quoque inveniuntur nonnulla similia,

velut comparandum est 1108 D ἴσθι δήπου cum 762 C etc., — 1087 A.D, 926 C, saepius, εἰ δοκεῖ cum εἰ βούλει 557 F etc., — ceteri laudant atque assentiuntur 1096 F. 418 E. 421 F, 931 D etc. ut 758 C.D etc., rem scire cupiunt 1108 B. 414 D. 421 F, 712 E etc. ut 764 A/B etc., similia. —

Nobis autem notandum est in Amatorio plurimis et rebus et verbis simillimis atque in compluribus dialogis Plutarcheis describi sermonis et principem et satellites.

II.

De motibus corporis et animi.

Iam talibus rebus, quae ad has figuras fingendas pertinent, plane omissis, antequam ceteras personas singillatim perlustrem, qua arte quos affectus Plutarchus pinxerit ostendam, ut etiam in hac re eis, quae non moribus personarum, sed consuetudini auctoris tribuenda sint, secretis ipsos homines indagemus. Sed in hac quoque quaestione neglegam eadem

de causa qua antea eas sermonum partes, quae non orationes, sed narrationem continent, velut in Amatorio 748 E—750 A. 754 E[b]—755 B[a]. 771 D—E.

A. Disertis autem verbis indicat auctor

1) saepissime risum (cf. Wilamowitz. Herm. 25 p. 196 A. 1.) aut omnium:

Am 750 B *γενομένου γέλωτος*, *qu* 615 E. 740 B

aut singulorum hominum

vel cavillantium cum alio:

Am p 754 C, *Pyth T* 397 B. Philinus 400 B, *de E* Plutarchus 391 E;

vel irridentium alium:

Am Pemptides 755 E *ἐπιγελάσας*, *Pyth* Boethus 398 D *ἦν φανερὸς καταγελῶν*. Philinus 400 E *ἐπιγελάσας*. *fac* Lamprias 935 E. Lucius 922 F. *qu* Alexander 636 A *καταγελάσαντος*. 641 B *καταγελῶντες*. 664 B *ὑπομειδιάσας ὡς καταγελῶν*. Lucanius 676 F. Aristio 692 E. Zopyrio 738 F *δῆλος ἦν καταγελῶν καὶ παρεφθέγγετο*;

vel ridentium versute:

qu Lamprias 715 B,

vel benigne atque urbane:

num Olympichus 563 B *διαμειδιάσας*, *Pyth T* 401 B *ἡσυχῆ διαμειδιάσας*, *fac* Aristoteles 928 E, *qu* Ammonius 648 B. 744 B. Favorinus 735 C;

vel suspicione quadam commotorum:

Am Soclarus 755 C, *de E* Ammonius 386 A *ἡσυχῆ διεμειδίασεν*;

vel laetorum:

Am Zeuxippus 755 B. *suav* Plutarchus 1087 B, *def* Demetrius 412 D E. Ammonius 428 B, *fac* Lucius 931 D, *qu* Firmus 636 D. Aristo 657 E. Florus 702 E. Plutarchus 703 E. Sospis 739 F. Herodes 744 C;

2) stomachum atque iram:

Am 752 B *Πεισίας ἦν δῆλος ἀγανακτῶν καὶ παροξυνόμενος*. 755 C Pisiam *ἀναπηδήσαντα βοᾶν*, *def* 413 A Didymus Cynicus *ἀναπηδήσας — καὶ τῇ βακτηρίᾳ δὶς ἢ τρὶς πατάξας ἀνεβόησεν*. *Pyth* 400 F Diogenianus *δυσχεράνας* propter libidines Graecorum, *qu* 711 C/D *ὁ Φίλιππος ὁρῶν ὑποδυσχεραίνοντας ἐνίους*. 739 E *Ὕλαν — Σῶσπις ὁρῶν ἀποσιωπῶντα καὶ βαρυθυμούμενον* (740 A *ἀποσκορίσαντος — τοῦ Ὕλα*);

3) vehementiorem commotionem animi:

Am 757 C *ἀνακραγὼν ὁ πατήρ* (cf. 755 B Pisiam *βοῶν*). *def* Ammonius 410 F *ἀνεφώνησεν*, *qu* Crato 613 A *ἀνακραγὼν*. A[illegible] 657 A *ἀναβοήσας*, *ὥσπερ εἰώθει*. Lamprias avus 678 E *φθεγξάμενος*. Sospis 739 E *ἀνεφώνησεν*. Protogenes 741 C *ἐπαναστάς*.

4) studium atque ardorem certandi:

Am Daphnaeus 751 B *ἔτι δὲ πλείονα λέγειν προθυμούμενον τὸν Πρωτογένους ἀντικρούσας* —. Pisias 752 B *μικρὸν δ' αὐτοῦ καταλιπόντος*. *num* Olympichus 560 A B *ἔτι δ' ἐμοῦ λέγοντος ὑπολαβών*. *def* Demetrius 415 D E *ἔτι δ' αὐτοῦ λέγοντος — ὑπολαβὼν* (cf. 413 B C). *fac* Pharnaces et Apollonides 933 F. Pharnaces 922 F *ἔτι μου λέγοντος — εἶπεν*. Sulla 940 F *ἔτι δ' ἐμοῦ σχεδὸν λέγοντος — ὑπολαβών*. *qu* Caphisus 724 D *ἔτι δ' αὐτοῦ λέγοντος ὑπολαβών*;

5) deliberationem:

num Plutarchus 549 E *κἀμοῦ πρὸς αὐτὸν ὄντος*. *def* Heracleo 419 A [1]) *σιωπῇ διανοουμένου τι πρὸς αὑτόν*. *qu* Trypho 648 F *ἄφωνος ἦν, ὅπως ἀντείποι σκεπτόμενος*. 728 D *ἐπεὶ δὲ τοῦτον λεγόμενον ὁ Λεύκιος οὔτε ψέγων οὔτ' ἐπαινῶν, ἀλλ' ἡσυχίαν ἄγων, σιγῇ δὲ καὶ καθ' ἑαυτὸν ὁρῶν* [illegible]. 739 B *ἔδοξεν οὖν ἡμῖν ὁ Ζωπυρίων διαπορεῖσθαι* — — *ἐκείνου σιωπῶντος* . . . 740 E *Μάρκος ἔδοξέ τι συλλογίζεσθαι καὶ διαριθμεῖν πρὸς αὑτόν*. cf. *def* 434 F Ammonius et Philippus *ἔδοξαν οὖν μοι βούλεσθαί τι διαλεχθῆναι καὶ πάλιν ἐπέσχον*;

6) admirationem:

Pyth Philinus, alii, 399 F, praecipue Diogenianus 395 B. 396 C. 397 E. 399 F. *def* complures 410 C. Philippus 418 A. *qu* Menecrates 639 B. Florus 650 A. 651 A. complures 664 B. Symmachus 671 C [2]).

[1]) Deinde, quia 418 F sq. Cleombrotus locutus est, 419 E Philippum quae antecedunt dixisse apparet, necesse est (419 A) scribatur '*ἀλλὰ* ⟨*ὁ Φίλιππος*⟩ '*φαύλους μέν' ἔφη κτλ.*

[2]) Non hic commemorandum est *fac* 942 C *θαυμάζοντος δ' ἐμοῦ ταῦτα*, quia hoc Bernardaki e consuetudine sua signo notandum erat, ut significaret non Lampriam, qui totum dialogum tradit, sed Sullam apud mirum illum hospitem miratum se esse dicere. — Etiam 942 F sq non recte intellegi solere videntur: omnia pertinent ad narrationem Sullae. *τίς δ' οὗτός ἐστιν, ὦ Σύλλα* non dicit Lamprias, sed pergit, ut 942 D, argumentari et narrare ille hospes, e quo haec omnia audivisse se tradit Sulla. ergo: '*Τίς δ' οὗτός ἐστιν, ὦ Σύλλα, μὴ περὶ τούτων ἔρου. ἄλλο γὰρ αὐτὸς διηγεῖσθαι*': vetat Sullam interrogare, quod iam 942 C (*δεόμενοι σαφέστερον ἀκοῦσαι*) idem interrogando interrupit sermonem.

cf. *num* 548 B *ἡμεῖς δ' ὅσον τι θαυμάσαι τοῦ ἀνθρώπου τὴν ἀτοπίαν, ἐπιστάντες σιωπῇ καὶ πρὸς ἀλλήλους διαβλέψαντες*

(*βλέπειν* praeterea *suav* 1103 E, def 423 B[1]. 434 F, *fac* 921 F. 930 A, *qu* 676 E sq. 735 C). —

Ipsis autem de hominum verbis intellegimus aliquem

1) vel suam rem defendere summo studio:

Am p 752 C. 756 A. 757 C. saepius. Protogenes 750 B C. Daphnaeus 750 C. Pisias 752 B/C, *de E* Theo 386/7. Plutarchus, *Pyth* Serapio 397 B. 400 A, *num P* 557 F. 558 C[a]. 558 D[b], *Col* Plutarchus 1108 C saepius, *suav* Theo 1093 A. 1096 A saepius, *fac* Lamprias 926 C D. Apollonides 935 D, *qu* Zopyrus 653 C—F. Soclarus 682 A/B. Thrasyllus 722 D;

2) vel audiendi studiosissimum esse:

Am Daphnaeus 757 E *ὦ πρὸς τῶν θεῶν*, *Pyth* Diogenianus 397 D *ὦ πρὸς θεῶν*, *qu* Aristo 612 F *πρὸς τῶν θεῶν*. Menecrates 639 B *ὦ Ἡράκλεις*;

3) indignari aliquid:

Am p 752 C. 754 B. 767 C/D. Pisias 752 B, *Pyth T* 407 F. 408 D sqq. 409 C. Diogenianus 400 F. *num P* 558 C/D. Patrocleas 548 9. Timo 557 C, *de E* Theo 386/7, *def* Didymus 413 A/B;

4) vel gaudere:

Am Zeuxippus 762 D, *num* Olympichus 563 B. *fac* Apollonides 921 B;

5) elato esse animo:

Am p 758 A. 759 B/C. 762 C—E. 763 F. Protogenes 751 A B. Daphnaeus 750 C. *num P* 556 B/C, *Pyth T* 409 A. Diogenianus 398 E, *de E* Ammonius 393 A/B, *Col* Plutarchus 1124 E;

6) vel ludere:

Am Flavianus 749 A. *p* 754 E. Protogenis et Daphnaei orationes. Pemptides 755 E/F, *Pyth T* 397 D. Diogenianus 395 B. Boethus 396 E. *fac* Theo 937 D—938 C. Sulla 940 F. *soll* Heracleo 975 C, *qu* Lamprias 617 F—619 A. 726 E sqq. Alexander 635 F. Aristo 657 A sqq. Lamprias avus 678 F. 680 A B. Plutarchus 682 C. 683 B. Eustrophus 702 D/E. Maximus 739 C/D;

7) irridere sententias quasdam:

Am Pemptides 755 E sq., *Pyth* Boethus 396 E. 398 A B. *fac* Lucius 923 A, *Col* Plutarchus 1110 E. 1112 D. saepius, facete 1117 F, *qu*

[1]) *ἔφη, πρὸς ἐμὲ βλέψας*, non *ἔφη, 'πρὸς ἐμὲ βλέψας'*.

Plutarchus 711 B. Sospis 741 C. Protogenes 741 D. *soll* Phaedimus 975 D/E. 980 A/B, *not* Diadumenus saepe, alter 1078 B;

8) vel cavillari cum aliquo:

Am p 754 C. 762 F sq. Pisias 752 D. Daphnaeus 750 A B (Soclarus 755 D), *Pyth T* 397 B. C. D. Serapio 399 E. Philinus 398 B. 400 B. *de E* Theo 387 D. Eustrophus 387 E. Plutarchus 391 E. *def* Demetrius 412 E. Heracleo 412 E sq., *suav* Plutarchus 1087 B. *fac* Lamprias 940 A. *qu* Xenocles 635 A. Plutarchus 635 A. 635 F. 643 F. convivae 640 C. Ammonius 645 D. Diogenianus 711 E. Plutarchi Theonisque filii 726 A. Empedocles 728 D. Sospis 739 E – 740 A;

9) ironia uti:

Am p 753 C D. 757 E. Protogenes 753 B. acriore Pisias 755 B C. *num P* 560 B C. *fac* Lamprias 935 E sqq., *Col* Plutarchus 1116 D. F. 1117 D. 1125 B. saepius. *qu* Lucanius 676 F sq. Plutarchus 677 E. 690 D. 711 B. Ammonius 744 B. *not* Diadumenus 1059 C D. 1072 E. 1079 B;

10) vel acerbitate quadam orationis:

Am p 754 B (*ἀβέλτερον*). Pisias 752 B C, *Pyth T* 407 F etc., *def* Heracleo 418 E, *fac* Lamprias 921 F sqq. 934 A. *qu* Theo 627 D (*οὐδὲν λέγεις*). Agemachus 664 D (*εὐήθες*).

Eandem porro, quam invenimus in principibus, benignitatem et urbanitatem etiam ceteri alter alteri praestant plurimis locis.

B. 1. Longinqua hac ac paene molesta quaestione transacta intellegimus plerumque affectus nequaquam perplexos a Plutarcho pingi solere simplicissima arte: paulo exquisitiore utitur raro; quo in genere commemoranda mihi videntur exempla illa ironiae et:

Am Pisiam, quanti sua intersit Bacchonem non in matrimonium duci ab Ismenodora et Amorem puerilem laudari, bene dissimulare 752 D (*ἐμοὶ — λόγον*) et parum commode iterum 752 E; *p* 752 C *τοῦ Πρωτογένους ἐπιλαβέσθαι*. 752 C et 753 B C constituere arbitri munere depōsito advocatum agere; 755 C Soclaro callidam quandam suspicionem inferri, neque prorsus dissimilem

de E Ammonio, cum ei 385 E F Lamprias, ut suam opinionem tueretur, ipse fabellam finxisse videatur;

Pyth 397 D Diogenianum adulescentem non ut Theonem (*δοκοῦμεν — ἔργον*) mystagogorum quos dicunt affectionibus parcere;

suav Theonem adulescentulum ne sententiam dicat se recusare modeste simulare 1087 C et 1104 A;

def 411 E Cleombroto indignato Ammonii refutationem tacente Demetrium opportune atque urbane finem facere molesti silentii, Didymum 413 A—D Cynicum apte agere, Heracleonem adulescentulum 418 E iuvenili dicendi licentia invehi in Cleombrotum;

fac Lucium 921 F peculiari quadam esse animi suavitate;

qu Lampriam 617 F modestum e consuetudine sua in lectulo inferiore sedentem alta voce iocari atque litem componere. 715 B implicare Nicostratum argutiis. 726 D sqq. similiter ac 385 E F voltu composito ludere; idem facere Ammonium 645/6 tanto artificio, ut prorsus decipiantur adulescentes; 620 B Cratonem et Theonem (cf. 1087 C. 1104 A) adulescentulos tergiversari; 653 F adulescentes pertubatos silentium tenere; 692 Nigrum, 710 B. 711 B/C. 712 D sophistam Stoicum bene describi; 728 D.F, dum verba fiant de Pythagoreorum opinione et vita, Lucium ipsum Pythagoreum summa verecundia incerti quicquam proferre nolle, placide autem ceteros, ut in rationem inquirant, adhortari; 739 E sqq. Hylam rhetorem suscensentem optime induci. —

Ceterum in ipsis his rebus paulo artificiosioribus maxime cavendum est, ne, quae casu et fortuito in sermones irrepserunt, a Plutarcho consulto instituta putemus; nam quanta ille fuerit artis scenicae inscientia, intellegimus eius modi locis inspectis, ubi ea, quae nobis effecta videntur, auctorem efficere noluisse certum sit; velut neque dubium est, quin, cum Pemptidem faceret 757 C quaestionem moventem iam solutam (v. Cap. I p. 7) et *Pyth* eos, qui ipsi rerum Delphicarum dudum gnari Diogeniano loca sacra monstrant, tum demum (399 F) ranas et hydros admirantes, non aut illum

aut hos stultos ostendere de industria studuerit, neque *def* Cleombrotum, qui postea gravissima confert ad disputationem, usque ad 411 E, ut fit, satis ineptum inducere in animo fuisse auctori mihi persuadeo. —

2. Iam exceptis melioribus illis artificiis, paucis pro tot tantisque libellis, cognovimus Plutarchum hominibus simplicissimos affectus attribuere solere eius modi, qui uno plerique nomine, ut fecimus, vocari possint. Quos eum non sine consilio per dialogos dispersisse, sed e re et e personarum condicione suo quemque loco indicasse videatur, ubi, quare nihilo setius multis sermonibus Plutarcheis languor quidam insit, desint flos et varietas, mirati comparaverimus cum Platonis suavitate, non dubitabimus, quin ea inprimis re laborent, quod non re vera homines sive manus inter se conserant sive alter alterius animum atque opinionem moveant. Nam quanquam efficere eos videmus, ut ceteri gaudeant, suscenseant, irrideant, non tamen, id quod non nihil ad sacram Platonicorum sermonum pulchritudinem confert, sensim et sententiae clarescunt et affectus ita nascuntur atque crescunt, ut adulescentuli perturbati erubescant, adversarii frustra e plagis explicari conati irascantur, sed singulis locis subito affectus efflorescere solent. Conatus est etiam illa assequi Plutarchus,

velut *Pyth* Boethus saepe aggressus et repulsatus 402 C—E[a] *ἐπιεικέστερα καὶ μουσικώτερα* pronuntiat: *def* Heracleo bis (418 E F. 422 F sq.) locutus atque reiectus (419 A. 423 A sqq.) silentium tenet. Ammonii quaestio omnium animos commovet (435 E); *qu* 653 F adulescentes percussi Zopyri verbis tacent, 676 E commoventur decepti specie viri eximia doctrina;

at et minus bene raroque interveniunt et saepe dubium est, num haec efficere voluerit auctor. —

3. Inde iam elucet apud Plutarchum non modo animorum commotiones non sensim exoriri atque crescere,

sed ne sententias quidem alterutrarum partium paulatim nobis inspectantibus sive conciliari sive ad incitas redigi solere. Immo plerumque suas quisque ab initio agit partes, ceteris audientibus, non de sua ipsorum sententia recedentibus. Principes igitur quos vocamus, quae de argumento sentiant, docent neque initio cunctati neque paucis eis, quae obiciuntur, perturbati; item rem agunt alii qui habent orationes perpetuas. Satellites in principum sententiam discedunt. Adversarii vel indignati (*Am* Pisias, *num* Timo, Patrocleas, Olympichus) vel irridentes (*Am* Pemptides, *Pyth* Boethus) suam dicunt sententiam — velut *Pyth* Boethus ter aggreditur, ter fugatur, neque tamen unquam victum se esse concedit neque desistit impugnare, ita ut fiat quasi corycomachia — neque quicquam efficiunt, nisi id, ut excitent defensionem.

Ceterum cum hac in re homines rarius, saepius alterutrarum opinionum defensores Plutarchus depinxisse mihi videatur, non mirum est ut affectus quoque non tam secundum mores et ingenium certorum hominum quam secundum partes ab illis defensoribus agendas saepius distribuerit. Neque oportet omnes huius generis res perquiramus, cum ita Plutarchum saepe rem agere et iam apparuerit in principibus, satellitibus, adversariis, et confirmetur singularibus quibusdam exemplis. Nam in patre qualis depingitur *Am* 756—771 invenimus quaecumque principis natu maioris ceterisque superioris esse cognovimus; atqui et initio audimus iuniorem eum tunc fuisse et 752 C—754 E iuniorem sine dubio agit. Atque *num* 548 A—C Timo Olympichus Patrocleas non minus quam ipse Plutarchus admirantur et indignantur stultitiam procacitatemque Epicuream, et Patrocleas iuvenili ardore fugandi adversarium afficitur; deinde vero a Plutarcho qua de re dubitent indicare iussi non modo ipsi haud ita diversa ab sententiis Epicureis iam dudum se sentire confitentur (548 D *ἔκπαλαι ἠγανάκτουν*, 548 E *ἐνοχλεῖ πολλάκις*), sed tanta vehementia, ut suam opinionem Epicureae similem defendant,

in numen invehuntur[1]), maxime Patrocleas et Timo, ut Plutarchus moleste ferat (558 B C, *τὸ σφοδρὸν τοῦτο τῆς κατηγορίας*; deinde assentiuntur Plutarcho. Cognoscimus igitur Plutarchum cum consuevisset interdum non hominibus, sed figuris illis a nobis circumscriptis certos attribuere affectus, eo adductum esse, ut patrem initio iuvenem et novum maritum describeret, tum vero in eis sermonis partibus, ubi ceteros doceret, principem; et Patrocleam, Timonem, Olympichum initio amicos vel discipulos Plutarchi, deinde adversarios, tum satellites.

III.

De hominibus.

Perspicimus igitur, quaecumque adhuc constituimus de Plutarchi ratione homines depingendi, convenire etiam in Amatorium, omnino autem, quod quidem attinet ad affectus depingendos, intra eas sermonum partes, quae ex orationibus maxime constant, artem scenicam auctoris esse mediocrem, quoniam plerumque ea, quae de singulis personis optime cognita habebat, non ita adhibere valuit, ut agerentur.

A. 1. Nihilo vero setius dialogi Plutarchei nequaquam prorsus carent artificiis scenicis aut omni suavitate. Nam quamquam ei qui interveniunt corporis animive motus, non modo illarum quas diximus figurarum, sed ceterorum quoque hominum, maxima e parte eiusmodi sunt, ut nihil efficiant ad certarum personarum mores agnoscendos, primum tamen id quoque artis scenicae est subitas has atque simplices commotiones pingere; deinde iam supra (pp. 67 sq.) invenimus complures locos diligentius et melius excultos; tum saepius non solum quod res ita ferret, sed de industria certo cuidam homini affectus quosdam ab auctore attributos esse licebit existimare, ubi

---

[1]) Adversarios eos facere ludi gratia auctori liceat, at scholae specimen exhiberet; tam acres adversarios facere non debebat.

aut omnino hac una animi commotione hominem affectum perspexerimus

— velut *de E* Theo 386/7 cum non commoveatur nisi summa indignatione, iure nobis acerrimus fuisse adulescens videbitur —,

aut eandem quamvis simplicem affectionem saepius in eisdem invenerimus

— velut *suav* Theo ut modestus adulescentulus et 1087 C et 1104 A verba facere dubitat et tergiversatur. *Pyth* Boethum. cum ter[1]) ceterorum opinionem irrideat. irrisorem esse apparet. Diogenianus cum iterum atque iterum miretur. adulescens sciscitandi et discendi studiosissimus demonstratur —,

aut singulari quadam re commoventur

— velut *Pyth* 400 F Diogenianus, cum suscenset cognita Graecorum libidine, ipse continentiam suam, *Am* 762 D Zeuxippus gaudens fabella illa accepta Socratis verecundiam praestat, sim. —.

2. Multum porro conferunt ad homines indagandos argumentum et sententia orationum vel dictorum[2]).

3. Permulta nobis nuda traduntur aut ab ipso auctore

— velut, ut pauca afferam e permultis exempla, *qu* 734 F Favorinum esse *δαιμονιώτατον Ἀριστοτέλους ἐραστήν*, 635 F Alexandrum esse Epicureum *χαρίεντα καὶ φιλόλογον ἐπιεικῶς*, 651 A Athryilatum esse medicum Thasium —

aut ab eo, qui dialogum narrans inducitur

— velut optime de Diogeniano *Pyth* 394 F sq. *ἢ φιλοθεάμων τις ἡμῖν καὶ περιττῶς φιλήκοός ἐστιν ὁ ξένος. — Φιλόλογος δὲ καὶ φιλομαθὴς ἔτι μᾶλλον κτλ.*[3]). —

4. Suavitas autem quaedam proprie Plutarchea maxime constat in eis, quae, cum inprimis legenda ab amicis atque

[1]) 398 E—F *τοῦ δὲ ξένου ἢ εἰπόντος, ὡς . . . . . θειότητος, [καὶ] ὁ Βόηθος — εἶπεν*: cf. 400 A *εἰπόντος δὲ τοῦ Σεραπίωνος, ὅτι — καθεζόμενον, γελάσας ἐγὼ — εἶπον.*

[2]) Quantopere autem hac in re cavendum esset ab temeritate, rectissime iam monuit Treuius (Bursiani Jahresb. vol. 62 (1890) pp. 4. 7).

[3]) Ubi quia *μᾶλλον* collocatum est in extrema sententia, non cum Wyttenbachio commuto *δέ* in *γε*, sed *ἔστι* in *ἔτι*: neque enim ex illis, quae secuntur 395 A B. verbis *τὸν δὲ ξένον ἡ μὲν ἰδέα καὶ τὸ τεχνικὸν τῶν ἀνδριάντων μετρίως προσήγετο, πολλῶν καὶ καλῶν ἔργων, ὡς ἔοικε, θεατὴν γεγενημένον*, concludendum est eum omnino non fuisse *φιλοθεάμονα*.

sodalibus scripta sint, ut penitus gauderent et subriderent inventis in Plutarchi libellis bene quibusdam notis sociorum moribus, studiis, amoribus, nos pulcherrime, quali fuerint in consuetudine Plutarchus, familia, amici, docent. Quam e. g. putas illos delectatos esse verbis, quae exstant *Col* 1107F, *εἷς τῶν ἑταίρων, Ἀριστόδημος ὁ Αἰγιεύς, οἶσθα γὰρ τὸν ἄνδρα τῶν ἐξ Ἀκαδημίας οὐ ναρθηκοφόρον ἀλλ' ἐμφανέστατον ὀργιαστὴν Πλάτωνος, οὐκ οἶδ' ὅπως παρὰ τὸ εἰωθὸς ἐγκαρτερήσας σιωπῆι καὶ παρασχὼν ἑαυτὸν ἀκροατὴν ἄχρι τέλους κόσμιον, ὡς τέλος ἔσχεν ἡ ἀνάγνωσις — ἔφη?* Compluribus igitur locis auctor, saepius vero eorum ipsorum, qui colloeuntur, alter de altero aliquid significat, velut cum Serapione cavillatur *Pyth* 397B Theo: *ὁ Σεραπίων μὲν — τὸ εἰωθὸς ἀποδέδωκε τῶι τρόπωι, λόγου περὶ Ἄτης καὶ Ἡδονῆς παραπεσόντος ἀπολαύσας*, et 400 A B Philinus[1]: *ποῦ σὺ πάλιν — ὦ χρηστέ, τὴν Στοὰν δευρὶ παρωθεῖς καὶ ὑποβάλλεις* —:

Talia porro apud Plutarchum, quamvis expers fuerit artis scenicae, non solum, ut his locis, commemorantur, sed etiam nobis inspectantibus aguntur; quo in genere earum, quas supra (pp. 67 sq.) ostendimus paulo exquisitiore arte depictas, rerum nonnullas enumerandas esse apparet.

5. Neque omnino Plutarchus, quanquam exceptis pulchrioribus illis locis artem scenicam non sufficere ad depingendos affectus intelleximus, tam mediocrem se praebet artificem, ut eis, quae de familiaribus quidem personis[2]) cognita habet, ita utatur, ut omnia commemorentur, nulla agantur; sed non solum in eis partibus quae continent narrationes, verum etiam in eis, quae constant ex orationibus, cum qua ratione homines participes sint colloquii ostendat, haud ita male rem agit

— velut *fac* et Apollonidēs, cum 933F et 935D meras nugas conferat ad quaestionem et non sine contemptione

[1] 400 D *ἔγωγ' εἶπον* pro *εἶπεν* loquitur Philinus (item iam E. Kurtzius, Berl. phil. Wochenschr. 1894 p. 1126).

[2]) V. Wilamowitz. Herm. 25 p. 196.

(934 A πρὸς τοὔνομα — ἐριστικῶς, εὔηθες) atque ironia (935 E) refellatur, et Pharnaces, cum ridicule increpitet (922 F), ipse ab Lucio ironia perstringatur (923 A), a Lampria (923 F sqq.) acerbe accusetur, parum urbane (940 A) irrideatur, non esse inter amicos Plutarchi demonstrantur; *def* Heracleonem, qui ita particeps sit sermonis, ut bis (418 E/F. 422 F sq.) pronuntiet quasi sapienter aliquid, utroque autem loco aberret a veritate et corrigatur a Cleombroto, in quem invectus est, et a Demetrio, adulescentem ut studiosum ita minus cautum auctor significat; Ammonius senex pauca ipse ad quaestionem confert, ceteros iterum atque iterum corrigit (411 A sqq. 413 E—414 C) et ut in multas res inquirant commovet (420 F. 428 A/B. 435 A—E); Demetrius ut vir grammaticus ipse cautus est in coniciendo, ceteros idem admonet (410 C), in Cleombroti demonstrationem immiscet quaestionem grammaticam (415 E F), affert versum Homericum (422 D), etc.

Verum tamen artem scenicam Plutarchi, etiamsi non prorsus desit, non esse magnam, meliorem esse ethopoeiam cognovimus.

B. Singulas personas ut describat, eis quae distinximus artificiis ita utitur auctor, ut aut unum adhibeat aut compluria aut coniuncte omnia aut nullum. Monendum autem est scientiam litterarum et comitatem quandam omnium fere exceptis paucis personarum esse communem; neque elocutione auctor ab altera alteram distinxisse videtur, praeterquam quod *de E* Theo antecellit oratione dialectica.

Itaque e. g. neque *fac* Aristoteli neque *num* Olympicho quicquam est peculiare, cum ille unam subridens sententiam immisceat in sermonem (928 E), hic cum ceteris admiretur stultitiam Epicuream, deinde agat adversarium (549 B sqq.), tum satellitem (560 A/B. 561 B. 563 B).

Philippus autem (*def*) non definitur nisi ab auctore

appellatus 418 A *συγγραφεύς*; neque enim quod miratur, interrogat (418 A. 426 E sq.), sua quaestione cedit Ammonio (434 F. 435 E), Apollinem solem credit, adiuvat indagantes hominem Neque de Timone *num*), praeterquam quod initio (548 B/C) demonstrari videtur grandior natu et sedatior Patroclea, quicquam reperimus peculiare nisi quod Plutarchus princeps dialogi (558 A) Pindari et Herculis progeniei honore tributo eum gaudere, et ipse (558 A morum Graecorum atque (557 B) Alexandri amantem se esse dicit: neque de Plutarcho (*suav*) magistrum et arbitrum (1087 B C. 1096 F) agente, nisi quod seniorem et obliviosum se esse significat 1104 A. Melius Lampriam in sermone *de E* conscripto auctor contentus est ita depingere, ut faciat eum composito voltu narrantem fabellam ab ipso fictam tanquam veram. Eundem compluribus artificiis coniunctis Plutarchus describit *def*, ubi nonnulla audimus ex ipso et Ammonio (431 D), deinde non sine consilio se omnium maxime fuisse familiarem Didymo Cynico (413 C) tradit, multa pie confert ad sermonem.

Varia igitur in singulis personis describendis Plutarchi est ars et diligentia: quae videntur minimae inesse in talibus dialogis quales sunt *Col*, *suav*, *not*: excellunt *def*, *de E*, *Pyth* et *fac* ex aliqua parte, *qu* I 2, VII 7. 8, IX 5. — Neque vero, id quod iam alii frustra conati sunt perficere, omnium quicumque intersunt in dialogis Plutarcheis hominum mores perlustrare quicquam facit ad nos, quibus ethopoeia auctoris Amatorii comparanda sit cum sermonibus Plutarcheis.

C. Restat igitur, ut et dialogi prorsus interpretandi et adversariorum refutandorum causa iucundius quoddam opus ingressi eos qui in Amatorio locuntur et agunt homines perspiciamus.

Iam in exordio qui inducuntur amicitia inter se coniuncti sunt. Atque Flavianus adulescens sine dubio minus gnarus rerum Thespiacarum sic ut ceteri studet et litteris et Plutarcheis rebus cognoscendis neque vacat a facetiis; non invenitur in

aliis dialogis, honoratur igitur ut bonus adulescens ab auctore hic inductus. Autobulus autem Plutarchi filius gaudet philosophando cum patre et sciscitando de rebus parentum, neque sine consilio ab auctore hunc filium laudationem matrimonii narrantem inductum esse iam in capitis primi parte IV intelleximus.

Pater ipse exordio demonstratur vir bonus matrimonio et auctoritate felix. Deinde nonnulla comperimus ex ipsa narratione. 749B—750A. Venit enim una cum coniuge Thespias ut homo pius amansque uxoris; amicum domo comitantur familiares, notos viros invenit Thespiis. Intersunt rebus sollemnibus[1]), sed adeo taedet eos inanium spectaculorum, ut profecti in Heliconem philosophari malint. Iam nobis indicatum est, et quo animo sit pater et quo studio ineat sermonem. In quo una cum aliis, quamvis sit haud ita multos annos natus, arbitri munere accepto bis ut novus maritus iuvenili ardore matrimonii defendendi commotus, etiamsi non de ipsa causa agatur, advocatus factus pro iudice, primum magna vehementia ingreditur in adversarios, deinde in oratione perpetua et ironia (753C) et acerbitate (754A/B) utitur, cavillatur cum Pisia (754C), in extrema argumentatione etiam ludit (754E). Sed inde ab 756 iam intelleximus plane eum agere principem dialogi, neque nisi 757C verbo *ἀνακραγών* admonemur aetatis iuvenilis. Male igitur Plutarcho evenit, quod patrem et recentem maritum et ceteros docentem coniuncte inducere studuit. Eis autem, quae dicit, pater demonstratur esse coniunx bonus, vir probus et pius, venerari Sappho, Platonem, Herculem (ad 754E et 761D cf. 558B). —

[1]) 748F *τὰ Ἐρωτικά* suspicionem movet et cum comparamus cum ceterorum nominibus ludorum sacrorum et cum ipsum Amoris diem Thespiis festum aliis locis aliter appellatum invenimus. Scribendum igitur videtur *τὰ Ἐρωτίδεια*: cf. Schol. Pind. Ol. VII 154. I. Gr. Sept. I 2517 *-ίδια*; *-ίδεια* Athen. XIII 561E (corr. Kaibelius ex *-ίδια*) et CIA II 490, I. Gr Sept. I 48 (*-ίδηα* I. Gr. Sept. I 1857. 2518).

De ceteris ex aliis quoque scriptis Plutarcheis nobis noti sunt Soclarus, Zeuxippus, Protogenes.

Soclarus Aristionis filius, qui advenit Tithora, qualis sit, ex hoc sermone omnino non perspici potest, nisi quis, quod 755D *ἐπομειδιῶν* suspicatur Bacchonem simulare se vi coactum esse, peculiare ei esse existimabit; nam quod 764A et 771D praestat studium et scientiam litterarum, id commune habet cum ceteris.

Zeuxippum auctor narrat esse hospitem Lacedaemonium, facit ut *φιλευριπίδην* afferentem versum Euripideum (755B) et gaudentem ut Socratis studiosum (762D); praeterea nihil audimus; nam adversus matrimonium non pugnat ipse suis opibus, sed aliorum profert auctoritatem.

Pemptides videtur fuisse inter Boeotos illos, quorum tradit auctor 749C *τῶν γνωρίμων τοὺς πλείστους παρεῖναι*, nam Thebanum eum significat pater 761B; debebat autem Plutarchus mentionem eius facere 749, et fecisset si emendasset libellum Ipse narrat se in Aegypto fuisse. Dissentit ab opinione ceterorum neque veretur irridere eos qui amorem deum credunt; neque tamen omnino est irrisor deorumve contemptor (757C), sed facilis potius quam contumax petit ut doceatur, et hic quoque familiaritate cum ceteris coniunctus est (756D, 759F *ὦ ἑταῖρε*): sicut e. g. Boethus in *Pyth.* excitat defensionem, non resistit.

Protogenes porro et Daphnaeus magna sunt inter se similitudine; uterque enim confestim adsistit litigantibus, uterque magno studio et grandibus verbis suam rem se defendere simulat (D. 750C, 752A; Pr. 750B, 750A *ἀνέδην ἔλεγε κακῶς*), uterque autem videtur actione non vehementer commoveri, quoniam in orationibus ludunt neque sine facetiis voltu composito argumentantur. — Dubium, de industria an neglegentia tam similiter se gerentes auctor eos fecerit; distinxit tamen aliis rebus. Nam Protogenes traditur hospes esse advectus Tarso, irridetur, quod trans mare advolaverit,

ut pueros formosos viseret; ipse agit defensorem amoris puerilis: eis quae accidunt neque ita commovetur ut Pisias neque ea, cum ipse studiosissimus sit amoris puerilis, prorsus despicit, ita ut optime dicatur (755C) secutus esse Pisiam *τὰ μὲν συναγανακτῶν τὰ δὲ πραΰνων ἐκεῖνον.* — Daphnaeus autem Archidami filius initio narratur Lysandram Simonis filiam amare atque petere: quae res cum bene ei videatur procedere (749B), non dubitabimus, quin iniuria a Pisia facetiis perstringatur (752D), quod non tam sua sponte ipse illam amet quam puellae illius igni amoris emollitae contagio affectus sit[1]); defendit mulieres et matrimonium; ex patre deinde (763A) audimus fuisse eum studiosissimum carminum Sapphicorum. In altera parte sermonis agit satellitem. — In utroque depingendo auctor maxime utitur suavitate illa proprie Plutarchea, cum ipse Daphnaeus alludat ad Protogenis amores, Pisias et pater ad Daphnaei amorem atque studium litterarum, haec autem omnia ceteris quoque familiaribus, quibus primis haec legenda essent, bene nota fuisse appareat.

Anthemio ab scriptore dicitur vir nobilis, Bacchonis frater patruelis et amicus senior. Laudi ei iam est, quod et Baccho ei rem suam commisit (749F) et Ismenodora eiusdem auxilium

[1]) Interpretatus est has res Wilamowitzius: absurdum enim, quamvis propter 752D necessarium, mihi videbatur, quod secundum Madvigi coniecturam (749B *καὶ Λύσανδρον ⟨Λυσάνδρας⟩ ἐρῶντα τῆς Σίμωνος*) diceretur nulla re annotata Lysander quidam Lysandram amare, idem nusquam ipsius dialogi particeps esset. Wil. autem cognovit 752D (*Δαφναῖον δ' ὁρῶ — — καὶ τοῦτον οὐκ ἐνοχλεῖ τὸ Λυσάνδρας κάλλος, ἀλλὰ συνδιακεκαυμένῳ καὶ γέμοντι πυρὸς — πλησιάζων — ἀναπίμπλαται*) non verba fieri de viro aliquo amante Lysandrae, sed de ipsius Lysandrae venustate (*κάλλει*), quam exhiberi loco ipsius Lysandrae; Pisiam igitur virum inimicissimum feminis (752B C) dicere Daphnaeum non ipsum amare, sed decipi Lysandrae feminae maris cupidissimae artibus. Scribendum ergo cum editoribus vetustioribus 749B *Δαφναῖον τὸν Ἀρχιδάμου Λυσάνδρας ἐρῶντα* . ., et 763A *εἴ τι μὴ ⟨διὰ⟩ Λυσάνδραν κτλ.*

expetit (756 A). Intra sermonem sine dubitatione carpit Pisiam, quod item ac pravi amatores amicum matrimonio, domo, rebus magnis privet, eundem tamen ut vir aequos nihilo setius laudat ut virum probum (749 F). Causam placido animo defert ad arbitros; sedatis verbis (752 E), ut non iam ab argumento decedatur, sed de ipsa re agatur, admonet: ne tum quidem ipse, ut Pisias, particeps fit actionis, sed cedit defensione patri, quem verecunde interrogatus (753 B C) tanquam magister vel amicus superioris aetatis benigne adhortatur. Neque, ut Pisias, vehementer suscenset adversariis, sed ut Bacchonem tuetur ab suspicione Soclari, ita non veretur concedere Ismenodoram licentiae cuidam morigeratam esse, eandem autem excusat (755 E); abit denique, ut subveniat Ismenodorae, neque, ut Pisias a Protogene, placatur ab alio: *ἀνὴρ σώφρων*.

Optime autem depingitur Pisias. Nam hic quoque dicitur *ἀνὴρ ἔνδοξος* et Bacchonis amicus, et amator senior, id quod non solum initio auctor narrat, sed etiam pater 754 C facete irridet et ipsum Pisiam, cum celare studeat, indicare statim videbimus; deinde cum ab Anthemione *τἄλλα χρηστὸν* eum esse concedatur et ipse quoque iudicibus causam committat, ne huic quidem, quanquam ceteros petit, familiaritatem quandam deesse iam scimus. — In prima autem actione, quamvis multum Protogenem superiorem fieri eius ipsius intersit, abstinet a pugnando, ne amorem Bacchonis patefaciat veritus. At cum Daphnaeum vehementer amori puerili obtrectare audiverit, sensim iratus non iam se continet, sed ferociter atque acerrime in feminas et coniugium invehitur. Sed ubi primum a patre non sine vehementia repulsatus non multum afuisse intellexit, quin secretum quod putat esse denudaret, quam maxime, ut hanc suspicionem exstinguat, Amorem puerilem superiorem demonstrari nihil sua interesse simulat et, quasi sit sedato animo, cavillatur cum Daphnaeo. Deinde quod 752 E, cum rursus Bacchonem a se prohiberi

muliebri amore dissimulet[1], suum amorem prodit magis quam celat delectamur. Ita autem loquitur, ut re vera Bacchonis salutem ei curae esse cognoscamus. Sed Ismenodorae licentia nuntiata vehementi impetu stomachum erumpit, acerrima ironia utitur, facta dicendo auget et altius tollit, truce animo avolat. — In extremo dialogo placatum eum maxime studere Bacchonis nuptiis audimus, neque facere possumus, quin, cum non adfuerit patris orationibus, qua ratione adductus sit demonstrari desideremus et minus bene a Plutarcho, cum et argumentationem et narrationem ad eundem finem perducere studeret (v. Cap. I 4), hoc omissum esse concedamus. Excusationi autem auctori est, quod iam 752 C/D et 755 B/C ita Pisias depingitur, ut eum vehementius quam constantius indignaturum esse exspectemus. Bene igitur describitur vir senior, qui iuvenili amore et ardore commoveri, benigno animo conviciari potius quam suscensere solet.

IV.

Itaque etiam ethopoeia et ars scenica Amatorii consentit cum ceteris dialogis. Adiungere autem liceat singulas quasdam res, quibus, ut verba nonnulla simili modo inter se coniuncta (v. Cap. II 2 pp. 54 sq.), ita artificia quoque simili ratione atque in Amatorio saepius a Plutarcho adhiberi demonstretur.

1) Quae bene invenit auctor, saepius adhibet:

Am Pisias dissimulat multum sua interesse amorem puerilem superiorem demonstrari 752 D et E,

Pyth Serapio Stoicam doctrinam furtim in sermonem immiscet 397 B et 400 A. Diogenianus *θαυμάζει* iterum atque iterum.

suav Plutarchus defessus esse dicitur 1087 A (*ἐπεὶ κέκμηκεν οὗτος*) et 1097 A (*ὅταν ἀποκάμῃς ὥσπερ οὗτος*). Theo modeste tergiversatur 1087 C et 1104 A.

---

[1]) 752 E amplector Pohlenzi (Berl. phil. Wochenschr. 1897 p. 296) sententiam, qui non verba tradita commutet, sed lacunam post *ἐραστήν* indicet et *ἂν ἐραστὴν* ⟨*ἐπιθυμῶσιν ἔχειν, αὐτὸν θηρεύειν μὴ ὀκνοῦσας*⟩ vel simile quid suppleat.

2) Eadem de causa saepius aliquis irridetur:

Am Daphnaeus 752 D et 763 A. *Pyth* Boethus 397 C et 398 B et 399 E. Serapio 397 B et 400 B.

3) Aliquis, cum non suam, sed aliorum sententiam proferat, acrius impugnari potest:

Am Zeuxippus 767 C. *num* Timo 558 C D

4) Senior aliquis adhortatur iuniorem:

Am 753 B C 'ὁρᾷς' εἶπεν ὁ πατὴρ ὦ Ἀνθεμίων, ὅτι — τοιοῦτοι — τὸν λόγον ἀναγκαῖον ἡμῖν —;' καὶ ναὶ μὰ Δί' εἶπεν ὁ Ἀνθεμίων 'ἀμέλει διὰ πλειόνων νῦν αὐτοῖς' κτλ., *de E* 386 F (Θέων) ἤρετο τὸν Ἀμμώνιον, εἰ διαλεκτικῇ παρρησίας μέτεστιν οὕτω περιϋβρισμένῃ ἐγκωμιον — τοῦ δ' Ἀμμωνίου λέγειν παρακελευομένου καὶ βοηθεῖν — —. *Col* 1108 A (Plutarchus adhortatur Aristodemum:) ὅρα δὴ καὶ σκόπει, τῷ ἀμυντῇ τὸν ἄνδρα.

5) Qui irrident, initium faciunt a fabella:

Am Pemptides 755 E F. *Pyth* Boethus 396 E F

6) Ceteri perspiciunt aliquem affectu commoveri:

Am 752 B λεγομένων τούτων ὁ Πεισίας ἦν δῆλος ἀγανακτῶν καὶ παροξυνόμενος ἐπὶ τὸν Δαφναῖον. *Pyth* 398 D ὁ δὲ Βόηθος ἔτι μᾶλλον ἦν φανερὸς καταγελῶν. *qu* 738 F ἔτι δ' αὐτοῦ λέγοντος ὁ γραμματικὸς Ζωπυρίων δῆλος ἦν καταγελῶν καὶ παρεφθέγγετο (711 C D ὁ Φίλιππος ὁρῶν ὑποδυσχεραίνοντας ἐνίους. 735 C ὁρῶ — ὑμᾶς οἵους ὄντας ἤδη σκιαμαχεῖν).

7) Urbane qui loquitur ceteris, quae dicere possit, iam nota esse videtur putare:

Am 768 B ἀφθονίας δὲ παραδειγμάτων οὔσης πρὸς ὑμᾶς τοὺς ὁμοχόρους τοῦ θεοῦ. *Pyth* 408 B ἄλλα δὲ τοιαῦτα — διεξιέναι πρὸς ὑμᾶς εἰδότας οὐκ ἀναγκαῖόν ἐστι. *suav* 1097 C τί ἂν λέγοι τις ὑμῖν ἀκριβῶς εἰδόσιν; *qu* 744 C καὶ τοῦτον λέγειν ἀπόδειξιν — ἄγροικον ἐν τοσούτοις καὶ τοιούτοις ἀνδράσιν.

8) Ut Pisias 755 B ridicule iratus *ἀναπηδήσας βοᾷ*, ita *def* 413 A Didymus Cynicus *ἀναπηδήσας — ἀνεβόησεν*.

9) Similia suspicantur Soclarus (*ὑπομειδιῶν*) 755 D et Ammonius (*ἡσυχῇ διεμειδίασεν*) 386 A.

Alia vide in parte II huius capitis.

Praeterea ad 676 F, ubi rhetor ignotus laudatur, non quod sapiat, sed quod permulta legerit, cf. quae dicuntur 690 D de hospite ignoto;

non audet nisi vino inflammatus aliquis verba facere 682 C. 700 E (150 C);

qui loquitur, ironia usus primum item argumentatur atque is quem oppugnaturus est: 677 E. 744 B. —

Tot vestigia Plutarchea cum apparuerint in capitibus altero et tertio, neminem iam dubitaturum esse spero Amatorium suo reddere auctori.

CAPVT QVARTVM.

Quaestiones criticae.

751 F

necesse esse videtur pro *προσεγκαλῶν* scribatur cum editoribus *προσεμβαλών*; sed quia Amor puerilis *προσεμβαλὼν προσανατρίβεται*, corrigendum est *παραδὺς εἰς τὰ γυμνάσια καὶ προσανατριβόμενος ἡσυχῆ* [*καὶ*] *προσεμβαλών*.

754 C/D

ἐν ἀρχῆι δὲ κυμαίνει (*τὰ νέα*) *καὶ ζυγομαχεῖ καὶ μᾶλλον ἂν Ἔρως ἐγγένηται καὶ καθάπερ πνεῦμα κυβερνήτου μὴ παρόντος ἐτάραξε καὶ συνέχεε τὸν γάμον οὔτ᾽ ἄρχειν δυναμένων οὔτ᾽ ἄρχεσθαι βουλομένων.* — Nomen de quo praedicantur verba *ἐτάραξε* et *συνέχεε* non posse *τὰ νέα* esse e comparatione elucet. *τὰ νέα* enim, quo nomine significat Plutarchus ipsos coniuges, antea comparata cum bigis (*ζυγομαχεῖ*), non possunt nunc esse *πνεῦμα*; immo matrimonium comparatur navi, coniuges nautis turbidis quibus deest gubernator: *πνεῦμα* igitur, ut saepius in hoc sermone (759 F. 767 D), est ipse Amor.

Wilamowitzio, ne nimis balbutiet oratio, delendum videtur ***καὶ*** ante ***καθάπερ***.

756 C

iure Bernardakis continuo scripsit (*τὴν δόξαν*) *εἰς ἀμφίβολον τῶι λόγωι θέσθαι ἢ καὶ ἄδηλον*, cum priores disiungebant *ἢ καὶ ἄδηλον* a praecedentibus. Neque vero voca-

bula *dubium* et *obscurum*, cum hoc loco eodem fere sensu sint, particulis *vel etiam* distingui possunt. id quod fieri posset si *ψεῦδος* vel simile quid secundo loco positum esset: delendum ergo videtur *ἤ*, qua ratione hiatus quoque tollitur.

757 D/E

scriptor singula genera venationis suo quodque deo attribuit. Sed re vera Aristaeum solis lupos et ursos, *Ἀπόλλωνα Ἀγρέα* solis aves venantibus praefuisse persuadere mihi non possum; immo auctor hoc ex eis ipsis, quae affert, poetarum verbis conclusisse mihi videtur. Unde si revertimur ad exemplum primo loco collocatum, duas res apertas esse existimo. Primum enim quoniam cetera munera certis adscripta sunt deis, venatio caprearum leporum cervorum non cuilibet deo *ἀγροτέρωι* attributa esse potest, sed haec quoque pertinet ad certum quendam deum. Invenimus autem feliciter *θεοὺς Ἀγροτέρους* loco quodam, quem debeo Wentzelio (in Encycl. real. Pauly-Wiss. I 891 s. v. Agreus 1, ubi corrigendum pro X 52. 55 est X 57. 55). Nam Lydis Lyciis reperta est inscriptio, quam publicavit Hicksius in Journ. of hell. st. X (1889) pp. 55 sq. Augustique aetati adscripsit: in qua exstant verba *Λεοντομένην — — ἱερατεύσαντα Ἀπόλλωνος καὶ Διὸς καὶ θεῶν Ἀγροτέρων καὶ Διοσκόρων καὶ Πανὸς κτλ.*, habemus igitur certa numina, quibus suae arae sacratae sunt.

Deinde autem id quod de duobus ceteris deis statuendum videbatur, in hunc quoque convenit. *θεὸν* enim *Ἀγρότερον* satis ignotum cervos venantibus solis favere auctorem non e more quodam patrio et cultu antiquo traditum habuisse consentaneum est, sed alicuius poetae verbis, ut ita rem se habere existimaret, adductum esse.

758 D

Bernardakis non aspernatus esset Muelleri et Madvigi emendationem *τὸ ξενικὸν* loco *τὸ συγγενικὸν* scribentium

neque mire miratus esset eos fugisse Plutarchi testimonium 481 F, si recte hoc intellexisset. Neque enim simul utrumque potest poni, et *τὸ συγγενικόν* et *τὸ φυσικόν*, sed idem est nostro loco *τὸ φυσικόν* atque 481 F *τὸ συγγενικόν*: id quod eo quoque demonstratur, quod 758 D sequitur *θεὸν ἢ φίλιον ἢ ξένιον ἢ ὁμόγνιον καὶ πατρῷον*; necesse igitur est scribamus *τὸ ξενικόν*. — Quin etiam dubitet quis, num illo quo B. nititur loco 481 F explendum sit *οὔτε γὰρ τὸ συγγενικὸν ⟨οὔτε τὸ ξενικὸν⟩ οὔτε τὸ ἑταιρικὸν οὔτε τὸ ἐρωτικὸν εἰλικρινὲς καὶ ἀπαθὲς καὶ καθαρόν ἐστιν εὑρεῖν κακίας.*

758 E

miror quod editores non acceperunt Reiski emendationem qui *ἢ* particulam ante *πνεύματος* traditam sustulit. Primum enim mirum esset, si aequo iure starent mixtura mala (*δυσκρασίαις*) et mixtura non accuratius circumscripta (*συμμίξεσι*).

Deinde dubitationem tenere non potest quicumque cognoscit eum locum e quo effluxit haec de furore morboso doctrina; quem sane locum laudat neque Winckelmannus neque Bernardakis. Platonis enim, de quo hic loquitur pater, verba inveniuntur Tim. pp. 86 E—87 A: *ὅπου γὰρ ἂν οἱ τῶν ὀξέων καὶ τῶν ἁλυκῶν φλεγμάτων καὶ ὅσοι πικροὶ καὶ χολώδεις χυμοὶ κατὰ τὸ σῶμα πλανηθέντες ἔξω μὲν μὴ λάβωσιν ἀναπνοήν, ἐντὸς δὲ εἱλλόμενοι τὴν ἀφ᾽ αὑτῶν ἀτμίδα τῇ τῆς ψυχῆς φορᾷ ξυμμείξαντες ἀνακερασθῶσι, παντοδαπὰ νοσήματα ψυχῆς ἐμποιοῦσι μᾶλλον καὶ ἧττον καὶ ἐλάττω καὶ πλείω κτλ.* Iam quoniam non antea exstat, sed tum demum fit *δυσκρασία*, cum *πνεῦμα βλαβερόν* illatum in animam miscetur cum *τῇ τῆς ψυχῆς φορᾷ*, scribendum videtur *μανία — ἡ μὲν ἀπὸ σώματος ἐπὶ ψυχὴν ἀνεσταλμένη δυσκρασίαις τισὶν ἢ συμμίξεσι πνεύματος βλαβεροῦ περιφερομένου τραχεῖα.*

759 F et 760 A

non video cur dubitent, quanquam *Κάββας* traditum

servari non posse videtur, e Iuven. sat. V 3 sq. (si potes illa pati quae nec Sarmentus iniquas Caesaris ad mensas nec vilis Gabba tulisset) et Martial. epigr. I 41, 16 et X 101 corrigere *Γάββας*. — Idem cadit in 726 A, ubi traditum est *καὶ γὰρ βάτον* (vel *βάττου*) *παρὰ Καίσαρι γελωτοποιοῦ*: cur scribunt (Madvig. adv. crit. I p. 655) *καὶ Γάλβα τοῦ παρὰ Κ. γ.*, non *Γάββα*?

761 C

cum mutilata sit sententia *ἵν' οὕτω γένηται τὸ 'ἀσπὶς δ'ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς δὲ κόρυν' μόνον ἀήττητον ὄντα τῶν στρατηγῶν*, propono: . . . . *οὐκ ἐρώμενον ἔταττε παρ' ἐραστήν, ἵν' οὕτω γένηται τὸ 'ἀσπὶς — κόρυν', μόνον* (sc. *τὸ ἐρώμενον τάττειν παρ' ἐραστήν*) *ἀήττητον ὂν πάντων* (*τῶν*) *στρατηγ⟨ημάτ⟩ων*. —

Cf. etiam Maxim. Tyr. diss. 24, 2: *ἐλευθεροῖ τὰς Θήβας Ἐπαμεινώνδας ἀπὸ Λακεδαιμονίων στρατηγήματι ἐρωτικῶι. — ὅπλα δοὺς Ἐπ. τοῖς ἐρασταῖς καὶ τοῖς ἐρωμένοις συνέταξε λόχον ἱερὸν τοῦ Ἔρωτος.*

761 C

ἐραστοῦ δε θω δε καὶ ἐρωμένου — —: fortasse *ἐραστοῦ δ'ἐνθέου καὶ ἐρωμένου μέσος οὐδεὶς πώποτε διεξῆλθε πολέμιος* (idem coniecit Winckelmannus).

762 E

verba *ἐκεῖνο δέ, εἶπεν ὁ Δαφναῖος, πρὸς χαρίτων οὐ δαιμόνιον κτλ.*, quanquam paulo alacriorem sermonem facerent, merito tamen omnibus offensioni erant, quod 763 A patrem loqui apertum est neque invenitur quo loco inter 762 E et 763 A oratio a Daphnaeo ad patrem remittatur. Mira vero proposuerunt, velut Patzigius *εἰπέ, ὦ Δαφναῖε*, Bernardakis *ὃ εἶπεν ὁ Δαφναῖος*: ubi? Permulti tamen et apud Platonem et apud Plutarchum — velut 405 A '. *τέχνην ἢ δύναμιν.*

ἦ γὰρ οὐχ ὁρᾷς’ εἶπεν ‘ὦ φίλε Διογενιανέ, τὴν Ἀθηνᾶν . . .’. 925 A ‘. . *ἀλλ’ ἥλιον μὲν . . . ἀπέχειν*’. ‘*φαίνει*’ *εἶπον* ‘*ὦ φίλε Ἀπολλωνίδη, καὶ . . .*’ — reperiuntur loci, in quibus, quanquam idem pergit loqui, dummodo ad novum aliquod argumentum transeat, *ἔφη* sim. insertum sit (cf. etiam Wilamowitz. Herm. 25, 210 sq.). Itaque emendandum est: ‘*ἐκεῖνο δέ*’ *εἶπεν* ‘*ὦ Δαφναῖε, πρὸς χαρίτων οὐ δαιμόνιον;*’

763 C D

ut secernantur duae illae sententiae ⟨*οὐ*⟩ *προσίενται — Λιτάς* et *οὐ Δεῖμον — ὁμολογεῖν*, opus esse videtur *οὐ* ⟨*ΔΕ*⟩ *ΔΕῖμον οὐδὲ Φόβον ἐθέλουσι θεοὺς εἶναι* ⟨*καὶ*⟩ (Bern.) *παῖδας Ἄρεος ὁμολογεῖν*.

764 B—D

viri docti deinceps alter alteram partem sententiarum corruptarum illustraverunt. Quarum omnium summa ea accipienda est, ut Aegyptii tertium quendam Amorem Solem et Lunam Venerem venerari, Graeci autem sapientes sine ulla dubitatione magnam et Amoris cum sole et Veneris cum luna similitudinem agnoscere, neque tamen numina ipsa prorsus esse vel solem ved lunam concedere dicantur.

Primum igitur apertum est 764 B Amorem dici *πολλὴν* habere *ὁμοιότητα πρὸς τὸν ἥλιον*; traditur autem *πρὸς τὴν γῆν*. Particula *δέ*, quae sequitur pronomen *ἡμεῖς*, non — id quod necesse esse Bernardakis censebat cum scriberet verba *ἡμεῖς δὲ πολλὴν μὲν Ἔρωτος κτλ.* non esse Aegyptiorum doctrinam confirmantis, sed emendantis — cogimur, ut iam in hac prima sententia (*ἡμεῖς δὲ πολλὴν . .*) mentio fiat Veneris, cum Bernardake scribere *πολλὴν μὲν Ἔρωτος ὁμοιότητα* ⟨*πρὸς τὸν ἥλιον, οὐδεμίαν δ’ Ἀφροδίτης*⟩ *πρὸς τὴν γῆν*; nam propterea iam suo iure exstat *δέ*, quod Aegyptii contendunt esse Amorem solem, Graeci autem similem esse soli. Et ne *μέν* quidem particula id facere cogimur, cum illi respondeat 764 D *γῆν δε*.

— Immo offensioni esset Venus in hac sententia commemorata; male enim ei continuaretur, quod spectat non ad lunam, sed ad Amorem et solem solos, *πῦρ μὲν γὰρ οὐδέτερόν ἐστιν κτλ.*[1]) Qua re non lacuna indicanda, sed *πρὸς τὸν ἥλιον* pro *πρὸς τὴν γῆν* substituendum est.

Deinde neque 764 B *Ἀφροδίτην ἔχουσι μάλα σεβάσμιον* neque 764 D *γῆν δὲ κατ' οὐδὲν Ἀφροδίτην καλοῦντες κτλ.* sententia integra est; in hac enim desiderari notionem lunae apparet e sequentibus; neque tamen *γῆν* mutandum esse in *σελήνην* veri simile est. Primum enim et 764 B, quanquam falso loco, et 764 D *γῆν* traditum est; deinde ita *κατ' οὐδὲν* — *ἅπτονται* neque cum Winckelmanno (pp. 212 sq. 'secundum nihilum') neque aliter interpretari possum; tum, quia in eis, quae antecedunt, quam habeat similitudinem Amor cum sole, et nunc, quam habeat Venus cum luna demonstratur, non *γῆν* vel *σελήνην δέ*, sed *καὶ σελήνην* exspectamus. Itaque 764 D et terrae et lunae mentio fiat necesse est; at cum nimis balbutiet Bernardakis supplementum (*γῆν δὲ κατ' οὐδέν, σελήνην δ' Ἀφροδίτην καλοῦντες ἅπτονταί τινος ὁμοιότητος*), Wilamowitzius proposuit *γῆν δὲ κατ' οὐδὲν ⟨Ἀφροδίτῃ φαῖμεν ἂν ἐοικέναι, σελήνην δὲ⟩ Ἀφροδίτην καλοῦντες ἅπτονταί τ. ὁ.* vel simile.

Hoc si verum est, etiam 764 B non solum terram, sed etiam lunam commemorari necesse est; si non, nesciremus etiam lunae Venerem similem dici ab Aegyptiis, id quod 764 D *γῆν δὲ . . ὁμοιότητος* iam notum nobis esse oportet. Quibus rebus commotus cum supplevissem *Ἀφροδίτην ⟨δὲ καὶ τὴν σελήνην καὶ τὴν γῆν⟩ ἔχουσι μάλα σεβάσμιον* (cf. quos affert Bern. locos 363 D et 372 D), Wilamowitzius, ne careret sententia

[1]) 764 B *αὐ⟨γή⟩* explendam esse lacunam veri simillimum est, quanquam spatium 3—4 litterarum E et B exhibent. — Perperam vero *καὶ* inserunt post *γόνιμος* Wytt. et Bern.: nam neque sol neque amor sunt *θερμότης* et *αὐγή*, sed effundunt fulgorem et calorem, quanquam *πῦρ* non sunt.

participio, proposuit *Ἀφροδίτην (δὲ καὶ γῆν καλοῦντες καὶ σελήνην) ἔχουσι μάλα σεβάσμιον* vel simile.

765 B

scribendum est cum Wyttenbachio et cum Bernardake *θνητὰ μέντοι θείων* (W., trad. *θεῶν*) (*καὶ ἀπαθῶν* Bern.) *παθητά*.

765 F

οὕτω δὴ (trad. *τοῦτο δὴ*) *τὸ ἐρωτικὸν μηχάνημα καὶ σόφισμα . . ἀνάκλασιν ποιεῖ*, sic mutandum, quia et antecedit similitudo neque praeeunt de ullo commento amatorio verba (recte iam Latine verterunt 'sic et Amoris' etc.).

766 B

οὔτ᾽ ἐκεῖ γενόμενοι (trad. *γινόμενοι*) *μετὰ τὴν τελευτὴν δεῦρο πάλιν στρεφόμενοι — κυλινδοῦνται*.

766 E

καὶ γὰρ εἴδωλα δήπουθεν ἐνδυόμενα τοῖς ἐρωτικοῖς καὶ διατρέχοντα κινεῖν καὶ γαργαλίζειν τὸν ὄγκον εἰς σπέρμα συνολισθάνοντα τοῖς ἄλλοις σχηματισμοῖς οὐ δυνατὸν μὲν ἀπὸ παίδων, ἀδύνατον δ᾽ ἀπὸ γυναικῶν verba varie tentata sunt.

ὄγκος, sicut Epicuro *ὄγκοι* sunt primordia rerum, apud Plutarchum saepius intellegendus est series vel acervus, qui constat ex atomis (v. e. g. 653 F. 654 A. 721 C *χαλκὸς — ὄγκον ἐλαφρὸς καὶ λεπτός*, 1110 B *κινηθέντος τοῦ ὄγκου καὶ γενομένης τῶν σωμάτων μεταστάσεως*). Hic igitur acervus per totum hominis corpus dispersus movetur (*κινεῖν* ut Us. Epic. p. 184. 21. 187, 11 *αἴσθησις ὑπ᾽ εἰδώλων κινουμένη* et saepe) illis simulacris et prolabitur et convenit *εἰς σπέρμα*, i. e. ita ut semen ex aptis illis principiis prolapsis componatur. Semen igitur ex toto corpore simulacris discurso convenit; cf. Usen. Epic. 217, 7 fr. 311 *τὸ τε σπέρμα ἀφ᾽ ὅλων τῶν σωμάτων*

φέρεσθαι, et Lucret. IV 1040 sqq. L. '(semen) quod simul atque suis eiectum sedibus exit, per membra atque artus decedit corpore toto in loca conveniens (*συνολισθάνοντα*) nervorum certa'.

σχηματισμός autem, cum sit figuratio, potest idem esse atque *εἴδωλον*; neque vero tum aptum esset ***τοῖς ἄλλοις σχηματισμοῖς***, et hac ipsa causa adducti ***τοῖς ἄλλοις*** in discrimen dedisse videntur, velut Wytt. proposuit ***τοῖς ἀδήλοις***, *ποικίλοις* coniecit Basilius Leonardus, laudavit Pohlenzius. — Attamen intellegitur interdum *σχηματισμός* etiam atomus, ut certa figura distincta, velut Plut. de primo frig. 948 A B *οἱ μὲν οὖν τῶν σκαληνῶν καὶ τριγωνοειδῶν σχηματισμῶν ἐν τοῖς σώμασι κειμένων τὸ ῥιγοῦν καὶ τρέμειν καὶ φρίττειν — — ὑπὸ τραχύτητος ἐγγίγνεσθαι λέγοντες κτλ.*, — Us. Epic. epist. II p. 50, 15 sqq. *Κρύσταλλος συντελεῖται καὶ κατ' ἔκθλιψιν μὲν τοῦ περιφεροῦς σχηματισμοῦ ἐκ τοῦ ὕδατος, σύνωσιν δὲ τῶν σκαληνῶν καὶ ὀξυγωνίων τῶν ἐν τῶι ὕδατι ὑπαρχόντων· καὶ κατὰ ἔξωθεν δὲ τῶν τοιούτων πρόσκρισιν κτλ.*

Iam nobis constant et simulacra secundum notissimam illam Epicureorum doctrinam (v. e. g. Us. Epic. ep. I 46 p. 9, 12 sqq.) et *ὄγκος* e corporibus primis, ita ut vocabulo *τοῖς ἄλλοις* distingui possint elementa simulacrorum ab elementis corporis et tota sententia sit haec:

'Neque fieri non potest, ut imagines quae ad amorem propensos ineunt et discurrunt, possint movere atque titillare primordiorum acervum, ita ut ad semen componendum prolabatur una cum alienis illis (sc. imaginum) corpusculis, profectae a mulieribus': simulacrorum quoque corpuscula, cum corpus discurrunt, prolabuntur ad genitalia.

Habemus igitur hic clarius quam aliis locis (Us. Epic. frgg. 311. 329, Lucret. IV 1037 sqq.) illustratam Epicuri de semine ciendo doctrinam.

767 A

quoniam defenditur sexus muliebris, pro ***οὐδὲν ἧττον***

ἀσπάζεται τοῦ Ποδάργου τὴν εὐφυΐαν ἢ (B. *ἢ* non exhibet nisi superscriptum E) *Αἴθην τὴν Ἀγαμεμνονέην* opus videtur *οὐδὲν ἧττον ἀσπάζεται τοῦ Ποδάργου τὴν εὐφυΐαν Αἴθης τῆς Ἀγαμεμνονέης.*

767 D

ᾧ δ' ἂν Ἔρως ἐπισκήψῃ ⟨τ' ἀληθῶς⟩ καὶ ἐπιπνεύσῃ (falso Bern. *τε καί*: Fuhr. M. Rh. 33).

767 F

ἐκκόψας δὲ τὸ θράσος καὶ κατακλάσας τὸ σοβαρὸν καὶ ἀνάγωγον, ἐμβαλὼν ⟨δ'⟩ αἰδῶ καὶ σιωπὴν καὶ ἡσυχίαν καὶ σχῆμα περιθεὶς κόσμιον.

771 D

quod traditur post *πρῶτος μὲν οὖν* vel *ενη* E) vel *ως ενην* (B), non videtur mutandum in *ἔφη*, cum per totum hoc caput exstent infinitivi, sed supplendum: *πρῶτος μὲν οὖν ⟨φάναι* (vel *εἰπεῖν, ἀποκρίνασθαι*) *τὸν Διογένη, συνεχώρησε τῇ Ἰσμηνοδώρᾳ.*

ORDO RERVM.

Numeris indicantur paginae huius libelli.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

INDEX LOCORVM QVI TRACTANTVR.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Hesiodi Operum versus 121 'αὐτὰρ ἐπειδὴ (sic Plat. Cratyl. 397 E; ἐπεί κε(ν) codd., ἐπεὶ καὶ Brunckius) τοῦτο γένος κατὰ γαῖα κάλυψε' substitutus est (ex 140 et 156) in locum alius versus, quo Iuppiter Saturni regnum subvertisse dicebatur.

II. Eurip. Hec. 699 sq. scribendum est 'ἔκβλητον ἢ πέσημα φοίνιον (φοινίου codd. et scholl.) δορὸς ἐν ψαμάθωι λευρῶι;'

III. Ventus secundum Epicuri doctrinam non est aër agitatus.

IV. In Ciceronis oratione pro Tullio habita §§ 47—52 transponendae sunt post §§ 53—56.

V. Ovid. fast. III 715 sq., ubi traditur

nec referam Semelen, ad quam nisi fulmina secum
Iuppiter adferret, parvus inermis erat

(sic U M[1], *parvus inhermis erat* A[2], *parvus inermis eras* D et alii codd., *parvus inherbis eras* A[1]), scribendum est:

Mars ut inermis erat.

VI. In spatio tertio cistae Cypseli (Pausan. V 18, 6) non, sicut fieri solet, milites ita pingendi sunt, ut alii manus inter se conserere incipiant, alii consalutent, sed ita, ut ab utraque parte in medium locum congrediantur agmine facto, non acie instructa. — Pausanias ibidem male et indiligenter sententiam exprimit.

VITA.

Natus sum Curtius Ernestus Hermannus Hubert die XXIII. mensis Decembris a. MDCCCLXXIX Posnaniae, patre Friderico Godehardo, matre Maria e gente Koehler; fidei addictus sum evangelicae. Prima elementa didici Raviseiae, Posnaniae in oppido: unde parentibus defunctis cum Emma Hubert, e gente Holst, quae matris vicariae officium fideliter mihi praestabat, Sundiam profectus inde ab aestate a. LXXXIX usque ad autumnum a. LXXXXII gymnasii, cui Rudolphus Peppmueller praeerat, tres classes et dimidiam percurri. Matre mortua Berolini inter alumnos Joachimicos receptus sum, paulo autem post Carolus Bardt gymnasii rector et Luise uxor, quae matura morte a. MCM nos erat relictura, parentum loco mihi esse coeperunt. Per gymnasium Joachimicum magistri ducesque mihi erant et alii egregii viri et Carolus Bardt, Carolus Fuhr, Otto Schroeder.

Vere a. XCVIII academiae Tubingensi adscriptum me iuris principiis imbuebant vv. dd. de Mandry † H. de Meyer † de Neumann Wendt: eadem vero aetate iam vv. dd. Busch Crusius de Herzog Lange Ph. Maier aliorum studiorum aditus mihi aperuerunt, quibus inde ab autumno a. XCVIII continuo deditus eram per terna semestria Gottingae atque Bonnae, per quattuor semestria Berolini: examen rigorosum habitum est a. d. VI. Kal. Aug. h. a. Docuerunt me vv. dd. Baumann Busolt Cohn Kaibel † M. Lehmann Leo Roethe Guilelmus Schulze Willrich Gottingenses. Buecheler Kuentzel Loeschcke Nissen Ritter Solmsen Usener

Bonnenses, Diels Hirschfeld Hoeniger Paulsen Stumpf Tangl Vahlen de Wilamowitz-Moellendorff Winnefeld Berolinenses. Ad exercitationes grammaticas benigne me admiserunt Gottingae Wentzel, Bonnae Solmsen, Berolini Guilelmus Schulze, ad palaeographicas Gottingae Guilelmus Meyer, ad historicas Gottingae Krauske Mollwo Ad. Schulten, Bonnae Nissen et Strack, Berolini Hirschfeld Lenz Scheffer-Boichorst †, ad archaeologicas Gottingae C. Dilthey, Bonnae Loeschcke, ad epigraphicas Bonnae Buecheler, ad philosophicas Berolini Lasson. Regii philologorum proseminarii Gottingensis sodalis eram per duo semestria, seminarii Gottingensis Leone moderante et Kaibelio per sex menses, seminarii Bonnensis moderantibus Buechelero Eltero Usenero per tria semestria. Omnibus qui me docuerunt quantum debeam non obliviscar. Gratias ago cum ceteris tum Leoni, qui quid mihi praestiterit, in dies cognosco, Buechelero Loeschckio Nisseno Usenero Bonnensibus, Hirschfeldio Wilamowitzio Berolinensibus: Wilamowitzi nomen propterea quoque mihi afferendum est, quod summa liberalitate hanc dissertationem suasit atque aluit. Qui solis luce fruuntur permittant, ut inprimis gratiam me habere confitear mortuo viro, qui et in scholis et domi suae benignitatem mihi praestiterit, humanitatis exemplum dederit, Georgio Kaibel.

Philologorum denique sodalicii et Gottingensis et Bonnensis participem me fuisse atque esse gaudeo semperque in lucris ponam.

Druck von Max Schmersow vorm. Zahn & Baendel, Kirchhain N.-L.